VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 I
35/ⁿ

a. p VIII a 49

RELECTIO DE MERITO ET AVGMENTO CHARITATIS.

IN VIGILIA PENTE-
coſtes ſolenniter prolata.

*A FRATRE DOMINICO
Bañes ordinis Prædicatorum ſacræ Theolo-
giæ Salmanticæ primario profeſſore,
anno Domini 1589.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Priuilegio.

SALMANTICÆ
Apud Ioannem & Andream
Renaut. 1590.

Summa Priuilegij.

CAtholici Regis Philippi Magni Hiſpaniarũ monarchæ priuilegio Fratri Dominico Bañes Dñicano cautum eſt in duodecim annos ne quis hanc Relectionem imprimat,ne ve in Hiſpaniæ regna importet alibi impreſſam in iuſſu autoris,cõſtituta pœna in eos qui cõtra fecerint quinquaginta millia numorum æreorum,vltra amiſsionẽ librorum & inſtrumentorum. Datum priuilegiũ fuit 18.Ianuarij 1590. Matriti.

REctor Clauſtrumq́,vniuerſitatis Salmãtinæ, Regij Senatus decreto, & cõmiſsione, mihi iniunxit,vt Relectionem, de merito & augmento charitatis, à Magiſtro Fratre Dominico Bañes Sacræ Theologiæ dimicatricis Primario in eadem vniuerſitate publicè habitã,& ſcripto mandatam,viderem,& ad ferulam reuocarem,id quod diligenter & accuratè perficiens, comperi lectione varia, & magna eruditione eſſe refertam, nihilq́, fidei Catholicæ diſſentaneum, nihil ſanæ doctrinæ aduerſum,in ea Autorem ſcripſiſſe, quippe qui Angelici Doctoris veſtigia ſequutus,eius ſententiam luculenter explicuit,& diſſertè propugnauit, cenſeo proinde Theologiæ ſtudioſis magno vſui futuram.

Magiſter Doctor.
Franciſcus Sanchez.

DOMINO SANCTIO DAVILA

Sacræ Theologiæ Salmanticæ profeſſori ibidemque quartùm Rectori integerrimo, F. Dominicus Bañes ordinis Prædicatorum veram ſalutem in Chriſto Domino precatur.

SOLENT, qui ſuas meditationes in publicum edere audent, alicuius grauiſſimi viri patrocinium implorare, cuius autoritate & protectione freti inuidorum ac maledicentium calumnias euadere ſperãt. Ego quidem integerrime Rector huius noſtræ vniuerſitatis decus & gloria neminem eligere potui, cui noſtrum hoc quaſi apologeticum opuſculum de merito & augmento charitatis libentiùs ac tutiùs dicarem. Quòd ſi conſilij mei rationem cauſamq́; dicere vellem, dedicatoriæ epiſtolæ terminũ & huius tractatus quantitatem; non autem animi mei deſiderium excederem. Sunt enim in te tot tantaq́; virtutum & ſapientiæ & antiquæ nobilitatis ornamenta,

menta, vt ad ea pro illorum dignitate mediocriter enarranda librum integrum oratorio ſtylo componere oporteret. Nunc autem, ego ſcholaſtici Theologi ac modeſti monachi legem ſeruaturus, ea in tuam laudem dicere ſtatui, quæ non aſſentandi cauſa, ſed pro gloria Dei & animi tui ad maiora virtutis incrementa excitandi gratia, dicta eſſe videantur.

Quotiens viros genere illuſtres veræ ſapientiæ
Sapien. 4. *virtutiq; deditos video, in mentem venit illud, O*
quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt & apud homines. Caſtam generationẽm Spiritus ſanctus appellat eam, quæ fidei & religionis & totius ſanctitatis puritate ornata eſt. Claritatem verò, generis nobilitatem intelligẽdam eſſe, ea quæ ſequuntur pulchritudinis rationẽ dum atteſtantur, explicant. Quoniam inquit Spiritus ſanctus, Apud Deum nota eſt & apud homines. Quam præclara ſit, ò Sanctie tua inclyta progenies, neminem niſi & ipſe valde ignotus fuerit, ignorare arbitror. Fruſtra ego nunc Abulenſium maiorum tuorum fideliſſima & antiquiſſima pro tuendo legitimo Rege infante fortiter geſta commemorauero. Nam in prouerbium abijt, vt Abula Regis diceretur illuſtris illa ciuitas. Quorſum etiam Enricorum & Guzmanorum aut Albanorum Ducum auorum tuorum Regiam ſtirpem ſimul cum egregijs omniq; memoria digniſſimis eorum facinoribus mentionem fecero? Hæc enim omnia niſi cum vera

virtute & vero Dei & Chriſti cultu coniuncta ſint, vanitas vanitatum à viro Chriſtiano meritò iudicantur. Cui ſi ſanctimoniæ caſtitas acceſſerit, iã proclamare cum ſpiritu non vanitatis ſed veritatis licebit, O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. Qua in parte tametſi auorum, proauorumque tuorum antiqua fides & pietas non vulgaris fuerit, quam tu fratresq; tui, quos ego à pueritia noui, imitati ſemper eſtis, tamen vnum præclariſſimum totius virtutis ac ſanctitatis exemplar quod vos maximè ad ſui imitationem cogit ante oculos habere debetis. Attendite ad petram vnde præciſi eſtis, Attendite ad eam quæ peperit vos. Sanè quotiens in mentem venit qualis fuerit quondam illuſtriſſima illa fœmina D. Ioanna à Toleto, quæ vos genuit, quæ peperit, nutriuit ac educauit, non poſſum non ex animo eius filios diligere, felicemque tali genitrice natos arbitrari. Verum te ô Sanctie inter fratres tuos natu minimum ac poſthumum feliciſſimũ exiſtimo: quoniam vidua mater te geſtauit in vtero & voto caſtitatis ſponſa Chriſti facta te peperit. Deum immortalem, quam longè aberat ab illis viduis de quibus Apoſtolus ait; Viduaq; in delicijs eſt viuens mortua eſt. Audierat illa potiùs aliam eiuſdem Apoſtoli vocem, Vidua, quæ verè vidua eſt, ſperet in Domino. Quanuis enim immatura mors caſtiſſimi thori gratum conſortium diſſipaſſet, fidẽ tamen eius erga chariſſimum virum irritare non valuit. Quantò enim magis ſe verè viduam exiſti-

mabat tantò fortiùs ſpem ſuam collocabat in Domino. Ornatum ac veſtitum ſtatim talem ſibi elegit vt ſepulturæ potiùs parata, quam huius ſeculi conuictui videretur. Lectulo tam paruo ac duro aſperoq́; ad breuem corporis requiem vtebatur: vt heremitarum vitam imitari appareret. Abſtinentiam miram ac frequentiſsima ieiunia cum frequentiore oratione & ſacræ Euchariſtiæ crebra communicatione coniungebat. Sacræ lectionis, verbiq́; diuini ſemper auidiſsima fuit. Erga pauperes nunquam viſcera miſericordiæ clauſit. Afflictis ac deſolatis mira verborum ſuauitate Chriſtianæque prudentiæ conſilio maximi ſolatij cauſa ſemper extitit. Harum rerum & plurium ego teſtis oculatus per multos annos extiti; eo quod me à ſacris confeſsionibus & conſcientiæ conſilijs vti dignabatur. Quod quidem officium libẽter exercebam, tum quia eius colloquio prudentior & cautior efficiebar; tum etiam quia eius exemplo ad virtutem & deuotionem excitabar; tum denique, quia eius orationibus diuinam erga me miſericordiam præſto affuturam confidebam. Quod ſi iam de paruulorum filiorum quinque, quos ſibi gratiſsima pignora defunctus maritus D. Sanctius Dauila reliquerat, educatione mirabili dicere velim, orationis longitudine epiſtolæ modum tranſgredi neceſſum erat. Omnes admirabantur, quã potens in omnibus erat, non diuitiarum abundantia, ſed maxima prudentia diuinoq́; auxilio filios tam honorificè ornabat, tan-

taq́ue nobilium famulorum cateruaſociabat, vt reginæ filios natos putares, & verè illa Regina erat mente & ſpiritu: quoniam ſeruire Deo regnare eſt. Hinc omnium dominabatur: omniumq́ue animos iuſſum obſequium facile conuertebat. Hæc verè vidua fuit ſperans in Domino. Nam & ſi multa cura ac diligentia filiorum commodis prouideret: tamen plus orationibus à Domino aſſecuta eſt, quam humana induſtria poterat efficere. Huius rei teſtimonio qui filios eius nouerit, non indigebit. Nam Catholicus Rex Philippus Magnus, & inter omnes principes quos noſtra tulit ætas ſapientiſsimus, vnico filio ſuo dilectiſsimo D. Gomezium Dauila maiorem natu pædagogum ex omnibus Regni ſui viris illuſtribus elegit ac deſignauit. Fratrem vero eius D. Ferdinandum à Toleto à ſecreto cubiculi conſtituit, cuius miniſterio ſingulariter delectatur. Deus cæli D. Didacum de Guzman magnæ ſpei adoleſcentem, viuente matre, ne fortè malitia mutaret ſenſum eius, miſericorditer à præſenti ſeculo rapuit. Sororem vnicam Chriſtus Dominus magnis virtutum ornamentis dotauit, & in ſponſam per religionis profeſsionem accepit. Te vero ô felix poſthume Sanctie arctiore ſibi vinculo aſtringere volens non ſolum ſacræ Theologiæ ſtudio & muneri ſacerdotali dicauit: ſed etiam euangelij ſui idoneum prædicatorem Chriſtiano populo amabilem fecit. Hæc omnia genitricis veſtræ ſanctitas & oratio à Domino impetraſſe creditur. Mortua eſt illa

& quaſi

& quaſi non eſt mortua, nam ſanctiſsimæ illius vitæ fragrantia adhuc in filiorum bonis moribus ſpirat. Hæc ſunt, ô Sanctie, potiſsima tui generis ornamenta, hoc tibi domeſticum ad omnem virtutem colendam exemplar ante oculos habe, vt merito & augmento charitatis maiorum dignitatum coram Deo & hominibus dignus exiſtimeris. Suſcipe ergo bene volentis animi erga te fratresque tuos paruum munuſculum doctrinæ Diui Thomæ propugnaculum, & pro tua, quæ non modica eſt, eruditionis & prudentiæ autoritate ab impugnatoribus defende. Vale plurimùm in Chriſto ſeruatore.

Datis Salmanticæ in vigilia Pentecoſtes, anno 1589.

Alphonſus Theſius à Caſtillo in laudem Autoris.

Dum ſacrũ Aquinatem luſtras, illũq; tueris,
Patri ſuſceptas à patre reddis opes.
Ille dedit lumen, patrem tu lumine luſtras,
Alter ab alterius lumine lumen habet.

LOCVS REPETENDVS EX APOSTOLO AD PHILIPPENSES.

CAP. I.

Oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet.

PRIMA CONCLVSIO.

LITERALIS ſenſus Apoſtoli, non ſolum eſt accipiendus de abundantia charitatis ſecundùm intenſionem actus vel habitus, ſed etiam ſecundùm quòd charitas abundanter exercet omne opus bonum propter Deum. Efficit enim ſola charitas, vt aliarum virtutum opera vltimum finem attingant. *Ex S. Th. 1.2.q.114 ad.4.*

¶*Secunda Concluſio.* *Ex S. Th. 2.2.q.184 art. 1. & ad.2.ar.3.*

CHRISTIANAE vitæ perfectio ſpecialiter & ſimpliciter, & per ſe & eſſen-

tialiter attenditur ſecundũ charitatem, ſed ſecundũ aliâs virtutes, ſecũdũ quid, Secundariò autem & inſtrumentaliter illa perfectio in cõſilijs conſiſtit, quæ quidem ordinantur ad remouenda impedimenta charitatis, ſicut & præcepta alia à præceptis charitatis, quanuis aliter & aliter. Illa quidem ad remouenda impedimẽta quæ deſtruunt charitatem, Hæc vero ad ea quæ impediunt actum charitatis.

¶ *Tertia Concluſio.*

Ex cõcilio Trid. Seſs. 6. can. 32. ex S. Tho. 2. 2. q. 24. artic. 6. & 1. 2. q. 114. arti. 8. ad tertium.

QVANVIS quolibet actu charitatis elicito vel imperato mereatur iuſtus augmentum gratiæ & charitatis, & gloriæ, ſicut & vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem: non tamen augetur gratiæ habitus vel charitatis, extra ſacramenti ſuſceptionem; niſi quando homo prorumpit in actum feruentiorem.

¶ *Quarta Concluſio.*

TAMETSI Beatitudo, quæ eſt clara Dei viſio vel fruitio, ſit præmium eſſentiale omnium bonorum operum, quæ iuſtus facit per Dei gratiam, tamen quantitas inten-

intenſiua viſionis Dei non commenſuratur niſi cum quantitate intenſiua habitus gratiæ & charitatis vndecunq; proueniat. Imò nec de ratione beatitudinis eſt, quod ſit pręmium bonorum operum ipſius beati, vt patet in beatitudine animæ Chriſti, & eorum qui baptizati moriuntur ante vſum rationis.

¶ *Quinta Concluſio.*

BEATITVDO ipſa, quatenus reſpondet vt præmium bonorum operum, nõ erit maior intenſiuè propter plura merita, ſed propter maiora. Illud autem eſt maius meritum ſimpliciter, in omni exercitio aliarum virtutum, quod ex intenſiore charitatis actu imperatur. Quo fit. Vt ſi quis cum æquali charitate dederit potum aquæ frigidæ pauperi, & alius ſanguinem prò Chriſto effuderit, æqualiter eſſentialem gloriam mereantur & obtineant, non autem accidentalem.

Coloſſē.3. ſuper omnia charitatē habete quod eſt vinculum perfectionis.

¶ *Sexta Concluſio.*

DEROGAT dignitati charitatis, & tanquam erroneum à cordibus fidelium abijciendũ eſt, aſſerere præmiũ eſſentiale

beatorum principalius reſpondere operibus aliarum virtutum, quàm actibus charitatis à quibus illa imperantur. Hoc inconueniens euidenter ſequitur ex opinione illorum qui aiunt, maius eſſentiale præmium aſſecuturũ martyrem, ex eo quòd ex æquali charitatis actu patitur martyrium, quàm alius qui potum aquæ frigidæ pauperi dederit.

DE merito & augmento charitatis diſputaturus pro defenſione doctrinæ Angelici Doctoris Sancti Thomæ, ante omnia Spiritum ſanctum charitatis autorem in hac ſacra vigilia Pentecoſtes inuoco: ne fortè, dum de charitatis merito & augmento diſſerimus, ipſius dilectionis vitio vanitatis aut æmulationis infelicem iacturam faciamus. Omnia etiam quæ dixero in huius difficultatis deciſione ſacroſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola catholica eſt, correctioni ſubijcio. Veſtræ etiam cenſuræ, ſapientiſsimi Magiſtri, qui veſtra præſentia hunc Theologicum actũ noſtrum condecorate dignati eſtis, libenter ſubmitto. Tantum enim communi

Theo-

Theologorum ſcholæ autoritatis tribuo, vt ſi omnes mihi affirmarent, nunc mediã eſſe noctem, putarem me eſſe dementem, aut omnino ſomniare, dum claram diem eſſe, iudico. Fretus igitur diuino auxilio, necnon perpetuæ Virginis & matris Dei, Sanctorumq; omnium, ſpecialiter autem Beati Thomæ pro cuius doctrinæ defenſione hunc laborem ſuſcipio, precibus ac patrocinio adiutus, hunc Theologicum actum aggredior.

Morem ſcholaſticum differendi ſequuturus, tres præcipuas Theologicas quęſtiones diſcutere ac definire pro ingenij noſtri paruitate ſtatui. ¶Prima quæſtio erit de ſenſu literali noſtri thematis. Secunda de perfectioné Chriſtianæ vitæ in quo conſiſtat, vtrum in charitate vel in alijs virtutibus. Tertia quæſtio ſubtilior & magis ſcholaſtica erit. An quolibet actu charitatis elicito vel imperato augeatur habitus charitatis. Huius rei occaſione plurima de merito bonorum operum & ipſorum præmio de gratiæ & iuſtitiæ & gloriæ incremento neceſſariò nobis dicenda erũt, quæ

Tres quæſtiones diſputandæ.

non ſolum ſubtilitati ſcholaſticorũ diſputandi gratia proderunt, ſed etiam fidelibus ad vtilitatem & morũ ædificationem, vt ſpero, proficiant. Et quanuis Commentarijs. 2. 2. quæſt. 24. arti. 6. multa dixerimus de hoc argumento: tamen, quia vt inquit Comicus, Nihil eſt tam bene dictũ, quin malè narrando poſsit deprauari: & quidã Theologus noſtra ſcripta minus attentè legens quàm oporteret, doctrinam re vera. D. Tho. ſub noſtro nomine expreſſo parùm tutam in fide eſſe, affirmare auſus eſt: viſum eſt mihi neceſſarium, cum moderamine inculpatæ tutelæ eius ſophiſmata luce clarius diſſoluere: ſimulq; oſtendere noſtram doctrinam, non eſſe noſtram, ſed angelici Doctoris expreſſam. Quam qui in vniuerſum ſequutus fuerit, tutus erit ꝙ in aliquo fidei Catholicæ, aut ſanæ doctrinæ aduerſetur. Quod quidem conſilium, ſi quidam noſtri temporis moderni Theologi ſibi accepiſſent, nunquam incidiſſent in ea præcipitia in quibus periclitati ſunt, atq; vtinam non adhuc periclitentur, circa diuinam prouidentiam & liberum arbitrium,

trium, & diuinæ gratiæ auxilium diuerſa dogmata & à doctrinæ Diui Thomæ & Diui Auguſtini aliena introducere ſemper conantes. Sed de hoc alias. Nunc autem quod inſtat agamus.

Prima igitur quæſtio literalis eſt. An cũ Apoſtolus ait, Oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet: loquatur de ſola abundantia charitatis, quæ conſideratur à Theologis ſecundùm intenſionem actus dilectionis vel ipſius habitus charitatis. *Prima quæſtio literalis.*

Primò arguitur pro parte affirmatiua. Charitatem abundare, nihil aliud videtur eſſe, quàm augeri: at verò charitas nequit augeri aliter quàm intenſiuè, vt demõſtrat D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 5. tali ratione, Charitas non poteſt augeri ex additione, neq; extenſiuè; ergo ſolũ intenſiuè augeri poteſt. Nõ enim eſt alius modus imaginabilis quo poſsit augeri qualitas ſpiritualis. Antecedens probat, nam vt augeretur per additionẽ charitatis ad charitatẽ, oporteret præſupponere, ſaltem per intellectũ, diſtinctionẽ vnius charitatis ab alia, quod eſt impoſsibile: quia cũ omnis charitas ſit eiuſdẽ

ſpeciei non poteſt in illa eſſe diſtinctio niſi numerica ex parte ſubiecti. At ſubiectū in quo debet augeri charitas eſt idem numero, ergo in illo non poteſt intelligi charitas addita charitati diſtincta numero. Rurſus charitas nequit augeri per hoc quòd extendatur ad aliquod obiectum ad quod antea non ſe extendebat, ſicut augetur ſcientia Geometriæ in eo qui de nouo incipit ſcire aliqua Geòmetricalia, quæ priùs neſciebat. Quòd quidem non poteſt dici de charitate, quia etiam minima charitas ſe extendit ad omnia illa quæ ſunt ex charitate diligenda. Reliquum eſt, ergo, quòd charitas augeatur ſolùm per hoc, quòd ſubiectum magis ac magis participet charitatem, id eſt, ſecundùm quòd magis reducitur in actum illius ac magis ſubditur illi: qui modus augmenti proprius eſt cuiuſlibet formæ quæ intenditur. Et quidem in hac doctrina etiam illi, qui nobis in alijs aduerſantur cum illum articulum interpretantur, conueniunt: tametſi poſtea non conſequenter loquantur. Videtur ergo, quòd Apoſtolus, ad ſolam intenſio-

tenſionem charitatis exhortetur fideles.

Secundò arguitur. Aliarum virtutum exercitium eſt circa media ad finem vltimum, ſed charitas ſecundum propriam rationem ſpecificam verſatur immediatè circa vltimum finem, & ſummum bonum à quo ſpecificatur, ergo non erit abundantior ipſa charitas ex operibus aliarum virtutum quibus imperat & quæ mouet in finem. Probatur conſequentia, exemplo habitus primorum principiorum, qui non perficitur ex actibus ſcientiarum circa cõcluſiones, ſicut enim ſe habent principia in ſpeculabilibus erga concluſiones ſcientiarum: ita ſe habet finis & habitus qui eſt circa finem reſpectu mediorum & virtutum quæ verſantur circa media, ergo ſicut habitus primorum principiorum non augeſcit exercitio ſcientifico, ita neq; charitas aliarum virtutum exercitatione, quantumlibet frequenti, niſi ipſa circa proprium obiectum feruentius operetur.

Tertiò arguitur & confirmatur. Charitas per ſe primò attingit finem, immediateq; vnit hominem Deo, & propter ipſam

aliæ virtutes attingunt finem ex motione ipſius ergo ipſa charitas non eſt abundantior in ſe ipſa propter abundantem exercitationem aliarũ virtutũ, ſed potius neceſſe eſt vt ipſa charitas intenſius diligat prius quã intenſius moueat virtutes ad proprias operationes. Probatur conſequentia ex maxima Poſterioriſtica, propter quod vnum quodq; tale & illud magis, ergo ſi charitas tendit in finem, & aliæ virtutes tendunt in finem, & quia charitas tendit, & attingit, aliæ virtutes tendunt & attingunt: neceſſe eſt, quòd charitas prius & magis attingat, quam aliæ virtutes. Habemus igitur intentum, quòd ex operibus aliarum virtutum non augeſcit vel abundat charitas, ſed potius vicè verſa.

Concluſio vnica. His nõ obſtãtibus ad propoſitã quęſtionẽ vnica cõcluſione reſpõdeo. Apoſtolus in prædicto teſtimonio loquitur de omni abundantia charitatis non ſolum ſecundũ feruorem vel intenſionem actus diligendi vel habitus, ſed etiam ſecundùm quòd charitas abundanter & multipliciter exercet omnę opus bonum propter Deum ſum-

mè dilectum. Probatur primo Concluſio ex ipſo cõtextu literæ, quæ ſic habet, Oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu, Vt probetis potiora, vt ſitis ſynceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei. In quo teſtimonio quinq; ſunt expendenda & ponderanda. Primum eſt quod dicit, In omni ſcientia, & in omni ſeuſu. Vbi Diuus Thomas ait, Charitas enim debet inhærere circa ea quæ ſunt fidei, & qui vult proficere in charitate, debet ſtudere agnitioni veritatis. Hæc enim eſt ſcientia ſanctorum. Dicit item Apoſtolus, in omni ſenſu. Senſus certè propriè eſt vis cognoſcitiua circa exteriora obiecta, cuius proprietas eſt, propoſito obiecto, ſtatim rectè iudicare de proprio ſenſibili. Hinc tranſlatum eſt nomen ſenſus ad iudicium interius rationis, quo quis rectè iudicat circa agibilia. Hinc dicuntur ſenſati, qui habent promptum iudicium ad iudicandum de agibilibus. Iuxta illud Sapientiæ 4. Cani autem

Quinque ponderanda in teſtimonio Apoſtoli.

ſunt ſenſus hominis. Et Sapientiæ. 6. Cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus. Et Eccleſiaſtici. 6. Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Vbi inſinuatur quam rari ſint ſenſati, & quanti æſtimandi ſint, & quomodo charitas inclinet ad proficiendum, non ſolum in ſcientia, ſed etiam in huiuſmodi ſenſu, & guſtu rerum cui omnia ſapiunt prout ſunt. Vnde ſecundo conſequenter ponderandum eſt quod dicit; Vt probetis potiora. Nimirum, quia ſenſus ille debet eſſe diſcretiuus boni & mali non ſolum ſpeculatiuè, vt Philoſophi & Theologi diſſerunt de virtutibus & vitijs, ſed practicè debet homo ſtudioſus & ſolicitus de abundantia charitatis talem ſenſum habere, vt guſtu ipſo probet & diſtinguat bonum à malo, & potiora ab ijs quæ minus bona ſunt. Huic conſonat quod ad Roman. 12. dicitur: Reformamini in nouitate ſenſus veſtri vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Super quem locum D. Thom. ſic ait; Conſiderandum eſt quòd ſicut homo qui ha-

bet

bet guſtum infectum non habet rectum iudicium de ſaporibus: qui autem habet guſtum ſanum rectum iudicium de ſaporibus habet: Ita homo qui habet corruptũ affectum quaſi conformatum rebus ſecularibus, non habet rectum iudicium de bono. Sed ille qui habet rectum & ſanum affectum, ſenſu eius innouato per gratiam, rectum iudicium habet de bono. Ideo ergo dixit Apoſtolus; Nolite conformari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis, id eſt, experimentò cognoſcatis, quæ ſit voluntas Dei bona; id eſt, quia vult bonum honeſtũ nos velle, & ſuis præceptis ad hoc nos inducit. Et beneplacens, in quantum ſcilicet bene diſpoſito delectabile eſt, quod Deus præcipit. Et perfecta, quaſi coniungens nos fini. Poteſt etiam in prędictis gradibus ſiue epithetis diuinæ voluntatis triplex iuſtorum gradus ſignificari. Vt ſcilicet, bona ſit incipientibus & pœnitentibus, & beneplacens proficientibus & perfectis perfecta.

Tertium ponderandum in contextu Apoſtoli illud eſt, quod inquit, vt ſitis ſynceri,

ceri, videlicet, puritate & ſimplicitate intentionis in bonis operibus: vt nihil fiat propter æmulationẽ vel propter inanem gloriam, vel propter alium malum finem. Alioquin, quæ videntur eſſe bona opera, non ſunt, ſed potius cadauera bonorum operum: & interdum mala opera propter finem nequam. Oportet igitur ſimplicem eſſe oculum intentionis, vt totum bonorũ operum corpus ſit lucidum. Quæ res non modicam habet difficultatem, quam ſentiunt viri timorati, & qui diligenter conſiderãt humani affectus lubricitatem & fallaciã. Sæpe enim, vt inquit Gregor. ſibi mẽtitur humanus animus, & putat ſe de bono opere amare quod nõ amat, & de malo nõ amare quod amat. Aduertãt hæc qui abſq; attentione finis, abſq; vera examinatione ꝓpriæ cõſcientiæ putant ſe multũ mereri apud Deũ dum multis operibus ſecũdùm ſe bonis dant operã. Timẽdũ enim eſt, ne fortè dicatur illis, Recepiſtis mercedẽ veſtrã. ¶ Quartũ obſeruandũ, quod inquit, ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitię per Ieſum Chriſtum. Vbi explicat Apoſto-

Apoſtolus media quæ debet exercere charitas, vt abundet & aſſequatur finem. Quæ quidem media conſiſtunt in duabus partibus iuſtitiæ integralibus, ſcilicet, in hoc quod eſt diſcedere à malo, & facere bonũ. Et idcirco dicit, ſine offenſa in diẽ Chriſti, qui venturus eſt iudicare. Vt ſaltem timore iuſti iudicis diſcedamus à malo & ſtudeamus bonis operibus, vt ſimus repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum. Vbi exhortatur ad plurimum & frequens exercitium bonorum operum fidentes in Chriſti meritis, per quẽ datur nobis gratia Dei ad benè operandum & meritoriè ad aſſequendũ vitam ęternam. Talia enim opera ſunt per quæ meremur ipſam vitam æternam & augmentum gratiæ & gloriæ, vt in Concil. Trid. Seſs. 6. can. 32. definitũ eſt, de cuius canonis intelligentia in ſequentibus plura dicemus. Obſeruandum tamen eſt, quod talia bona opera dicuntur fructus iuſtitiæ, nõ ſolùm quia ſunt fructus iuſtificationis adeptæ, ſed etiam quia merita ſunt, quibus debetur corona iuſtitię, quam reddet nobis Dñs in illa die iuſtus iudex.

Quintò

Quintò & vltimò. Obſeruandū quod Apoſtolus inquit, in gloriam & laudem Dei. Nam etſi operari propter retributionem bonum ſit, tamen principalius debemus intendere gloriam & laudem Dei, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Habemus igitur intentum, quod Apoſtolus loquitur de abundantia charitatis, qua non ſolum in ſe ipſa ſed etiam in multigena virtutum omniū exercitatione abundat.

Probatur ſecundo concluſio. Ex modo loquendi ſacrarum literarum de vera charitate. Nam 1. ad Corinth. 13. vbi hanc virtutem Apoſtolus mirificè extollit, ſine qua nihil ſumus, nihil nobis prodeſt quod facimus ad aſſequendam vitam æternam, ne exiſtimaremus ſolam charitatem in ſe ipſa exercendam circa proprium obiectū, adiecit, Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate. Congaudet autem veritati, omnia ſuffert,

omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Item 1. ad Theſſaloniſ. 4. Sic ambuletis, vt abundetis magis, ſcitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Ecce modum abundandi per bonorum operum exercitium & præceptorum obſeruãtiam Apoſtolus docet. Item Ioan. 14. Si diligitis me mandata mea ſeruate. Et iterum. Qui habet mãdata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Item, Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. Super quem locum D. Gregor. in Homilia Pentecoſtes, inquit. Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Nam qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt: vt ipſe Ioannes inquit in ſua Canonica. De dilectione ergo conditoris lingua mens & vita requirantur. Nunquam eſt amor Dei otioſus: operatur enim magna ſi eſt, ſi autem operari renuit, amor non eſt. Hactenus Diuus Gregorius. Denique probatur concluſiò optima ratione. Quoniam officium proprium charitatis in præſenti vita peregrinantis & militantis, non ſolum eſt di-

ligere Deum, & vnire affectum hominis cum Deo: ſed etiam ambulare & militare quaſi Dux aliarum virtutum. Et idcirco ſicut ad Ducem militiæ pertinet, non ſolum deſiderare victoriam, ſed etiam dirigere, & mouere milites ad exercitium per media conuenientia ad aſſecutionem victoriæ, qui eſt finis proprius Ducis: ita prorſus ad veram charitatem ſpectat, imperare reliquis virtutibus: vt ſe ſe exerceant circa propria obiecta, qualia ſunt media neceſſaria & conuenientia ad aſſecutionem vltimi finis, qui eſt beatitudo conſiſtens in viſione & fruitione Dei. Hoc iter, hoc frequens & varium exercitium, Hæc fortis militia benè ordinatæ charitatis, videtur nobis depingere elegãter & pulchrè ipſe Spiritus ſanctus Cantic.2.cap. ab eo loco vbi ait Sponſa, Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis:

quia

quia amore langueo. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Libet tantiſper veſtros animos ſuauiter recreare huius teſtimonij explicatione. In quo nobis deſcribitur peregrinantis & militantis animæ Chriſtianæ diuina varietas ordinata. Primò quidem proponit ſibi excellentiã obiecti diligibilis, in eo quod inquit, ſicut malus inter ligna ſyluarum: ſic dilectus meus inter filios. Ligna certè ſyluarum aut fructum non referunt, vel ſi quem producunt, irrationabilibus animãtibus potiùs quam hominibus aptũ emittunt. Malus autem pulcherrimus pulcherrima poma & ad veſcendũ ſuauia profert. Talis igitur ꝓponitur filius Dei, diuina ſapientia, Deus homo Chriſtus Ieſus, etiam in Cruce poſitus, ſicut malus cæleſtis paradiſi proferens nobis pulcherrimos ac diuinos fructus, ad veſcendũq; ſuauiſsimos animæ diligenti ac deſiderãti, cuius comparatione omnia detrimentum facit & arbitratur vt ſtercora. Vnde ſequitur; Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Quibus

verbis vitæ contemplatiuæ: quæ omnibus ſuo modo neceſſaria eſt, ſpecialis quidam affectus deſcribitur. Sæpè enim continget animam peregrinantem, imò etiam & militantem laxari ac defatigari in aliarum virtutum exercitio, tam erga proximos, quàm erga ſeipſam, dum carnis deſideria mortificans, afflictionem ſentit & ſuorum peccatorum etiam venialium cognitione affligitur. Tunc igitur ſuauiſsimum, promptiſsimùmq; remedium adeſt, nimirum, vt ſedeat ſub vmbra illius, quem deſiderauerat, & experietur gutture illius vitalis arboris fructuum dulcedinem. Sub vmbra inquit illius: quia certè ſub fidei lumen præſentis vitæ, omnis contemplatio diuinæ bonitatis continetur. Firmiter tamen ſedet, firmiſsimum habens fundamentũ: nam qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe. Sedens igitur anima in contemplationis quiete rerum temporalium oblita, dulciſsimos fructus, quibus delectatur & recreatur, deguſtat. Verùm tamen, quia præſentis vitæ ſpiritualis ſuauitas ad iterùm laborandum & militandum

dum deſtinatur. Sequitur. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Hic iam charitas abundantior efficitur & ad fortiter militandum diſponitur: introducitur enim in cellam pretioſam, vbi ſunt vina antiquiſsima, quæ animam diuina ſapientia inebriant & lætificant. Nimirum, quando mens dono Spiritus ſancti diuini pectoris arcana intelligens, eiuſque æternam erga homines charitatem cognoſcens forti animo militiam profitetur, bellumque aduerſus hoſtes & inimicos Dei fidenter indicit. Tale vinum guſtauerat Apoſtolus, cùm aiebat. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames, &c? Et iterum dicit. Charitas Chriſti vrget nos. Biberant & Apoſtoli, quando ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Eſt autem operæpretium aduertere, quomodò noſter interpres latinus quaſi ſpiritu Dei eruditus tranſtulerit, ordinauit in me charitatem, vbi in Hebræo legitur, Et vexillum eius ſuper me vel er- *Rom. 8.*

ga me dilectio. Intellexit enim ſpiritũ metaphoræ, quemadmodũ enim in bello ordinati milites vexillum ſequuntur: ſic omnes potentiæ animæ, omnes ſenſus hominis, omnis virtutum exercitus ſequuntur charitatem, veluti ſigniferum ordinatiſsimè exercitum ducentem ad victoriæ conſecutionem. Ordo itaq; charitatis in hac vita ordo militaris eſt: militia eſt enim vita hominis ſuper terram. Vnde & in eiſdem Canticis ſæpè ſponſa deſcribitur, nõ ſolum pulchra, nõ ſolum delitijs affluens, ſed terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Et iterum. Quid videbis inſulamitæ niſi choros caſtrorum. Vbi quàm lætanter militiam exerceat per hoc, ꝙ dicit, choros caſtrorũ, datur nobis intelligi. Mirum eſt autem, ꝙ ſtatim ſequitur, Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. Videtur enim ſponſa in prælio deficere, neq; conſtanter pugnare: dum tam delicata fulcimenta poſtulat, flores videlicet & poma ad langorem animi reficiendum. Verum tamen, ſi huius militiæ diuinę diſciplinam diſcamus, nullum certius victoriæ ſignum

Cantic. 6. & 7.

inue-

inueniemus quàm cũ ipſa anima charitate vulnerata eſt, & quaſi omnia ſęcularia & ſeipſam faſtidiens languet, ſolaq́; ſpe futurorum bonorum fulciri deſiderat. Taleq́; remedium poſtulat, cum inquit, fulcite me floribus, ſtipate me malis, quorum odore recreata, inquit. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quæ verba iterum repetit Cantic. 8. Per læuam ſanè præſentis vitæ labores ſignificari, ſancti Patres docuerũt: ſicut per dexteram, æternæ vitæ gaudia intelliguntur. Perfecta itaq; anima in charitatis dilectione præſentis vitæ laboribus, quaſi puluinari vtitur, ſicut & Apoſtolus inquit ad Roman. 5. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes ꝙ tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationẽ: ꝓbatio vero ſpem, ſpes autem non cõfundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Nõ ergo mirũ eſt, ſi anima charitate vulnerata futurorũ ſpe viua in laboribus requiem inueniat expectans quod in æternum cæleſtis ſponſus illã ſua dextera ſemper amplexabitur. Et idcirco inquit, Læua eius ſub

capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læua quidem ſiniſtrum & aduerſum aliquid importat, ſed dummodo ſit eius, mihi proſpera eſt, & ad reclinandum caput meum ſuauis: quoniam ſpero dexteræ illius æternum & fœlicem amplexum. Hactenus de abundanti charitatis exercitio fœliciſsimo, non ſolum ſcholaſticè, ſed & myſticè dicta ſufficiant. Erit enim vtile fundamentum pro ijs, quæ in vltima quæſtione diſſerenda ſunt.

Ad argumenta quæ pro parte affirmatiua in principio ſunt propoſita, reſpondere neceſſe eſt. Ad primum argumentum negamus ſecundùm modum loquendi ſcholaſticorum, idem eſſe omnino, charitatem augeri & abũdare. Et quidem quotieſcũq; augetur, abundat. At non quotieſcunque abundat, augetur. Etenim augeri charitatẽ importat intrinſecã mutationem habitus charitatis. Quod quidẽ augmẽtũ aliter fieri nequit, quàm intenſiuè, vt demonſtrat D. Tho. loco citato. Cæterum charitatem abundare, non ſolum eſt intenſiuè augeri, ſed etiã tunc abundat, quotieſcunq; in actũ pro-

proprium prorumpit, reliquaſq; virtutes ad exercitiū mouet & in vltimum finem multipliciter dirigit. Doctrina itaq; Apoſtolica vtramq; abundantiam complectitur, dum replicat, vt charitas veſtra magis ac magis abundet.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ꝙ probat efficaciter in doctrina Sancti Thomæ, ꝙ habitus charitatis nō erit abundantior intenſiuè ex quolibet exercitio aliarum virtutū. Non tamen probat, ꝙ non abundet charitas, tum exercendo propriū actum, tum imperando actus aliarum virtutum. Quãuis enim non ſit charitas abundantior poteſtatiuè propter exercitium actuale (minima etenim charitas poteſt omnem actum virtutis exercere) nihilominus negari non poteſt, quin actualiter ſe ſe extendat ad multa opera, quæ antea non exercebat. Quapropter, verum eſt, ꝙ charitas abundat extenſiuè, actualiter quidem ſe extendens, non autem poteſtatiuè.

Ad tertium argumentum reſpondetur, ꝙ ſolum procedit de abundantia habitus charitatis intenſiua ipſius habitus. Et pro-

bat iudicio meo euidenter, ꝙ prius oporteat intenſiorem eſſe actum charitatis quã reliquę virtutes infuſæ ſibi ſubordinatæ intenſiores actus circa propria obiecta exerceant. Loquor autem de prioritate cauſalitatis: & idcirco dixi in vltima parte primæ cõcluſionis earum quas in principio cum themate propoſui, efficit enim ſola charitas, vt aliarnm virtutum opera vltimum finem attingant. Quamobrem non poſſunt intenſiùs aut vehementiùs attingere, quã ipſe actus charitatis mouens & imperans huiuſmodi actus ad finem charitatis proprium.

Secunda Quæſtio.

IAM vero neceſſe eſt ſecundam quæſtionem quæ maximum fundamentum eſt, ad ea quæ in tertia examinanda ſunt diſſerere.

Quæritur ergo ſecundo loco. Vtrùm perfectio Chriſtianæ vitæ attendatur ſpecialiter ſecundùm charitatem. Primò arguitur pro parte negatiua ex illo 1. ad Co-

rinth.

rinth. 14. Malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti, ſed charitas non pertinet ad ſenſum, ſed potius ad affectum ergo in illa non conſiſtit perfectio. Confirmatur. Perfectio præſentis vitæ illa maior eſt, quę magis aſsimilatur perfectioni beatorũ: ſed perfectio vitæ beatæ conſiſtit eſſentialiter in viſione Dei, ergo perfectio vitæ præſentis magis conſiſtit in contemplatione, ergo in affectu.

Secundò arguitur ex illo ad Epheſios vltim. Accipite armaturam Dei vt poſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare. De qua armatura ſubiungit, ſtate ergo ſuccincti lũbos veſtros in veritate, & induti loricã iuſtitiæ. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, ergo perfectio Chriſtianæ vitæ non ſolùm attenditur ſecundũ charitatem: ſed etiam ſecundùm alias virtutes. Cõfirmatur ex illo Iacobi 1. Patiẽtia opus perfectum habet, ergo perfectio Chriſtianæ vitę magis attenditur ſecũdũ patientiã.

Tertiò arguitur. Ex illo Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni &

ſequere

ſequere me, ergo perfectio potiùs conſiſtit in obſeruantia illius conſilij, quàm in charitate de qua eſt præceptum.

Arguitur quartò. Omnes tenentur diligere Deum ſuper omnia, non autem omnes tenentur eſſe perfecti, ergo perfectio vitæ Chriſtianæ non conſiſtit in dilectione Dei, ſed potius in obſeruatione cõſiliorũ: quæ non ſunt de neceſsitate charitatis.

Arguitur quintò ex doctrina D. Thomæ. 1. p. q. 5. art. 1. ad primum, vbi docet, quòd ſecundùm primum eſſe dicitur aliquid ens ſimpliciter, & bonum ſecundùm quid. Secundùm verò vltimum actum, dicitur aliquid bonum ſimpliciter, & ens ſecundùm quid. v. g. per animam conſtituitur animal in eſſe animalis ſimpliciter, at verò ad rationem perfecti animalis requiruntur quædam accidentia, per quæ animal dicitur eſſe perfectum & potens generare ſibi ſimile, ergo ſimiliter quanuis ſubſtantia vitæ Chriſtianæ conſiſtat in charitate: tamen perfectio eius cõſiſtet in aliarum virtutum exercitio, & in conſiliorum obſeruantia: & tanto magis abundabit chari-

tas

tas in perfectione, quantò magis in obſeruantia conſiliorum & aliarum virtutum exercitio ſe ſe impenderit. Cõfirmatur ex illo Ioannis cap.15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ergo in martyrio, quod eſt opus fortitudinis à charitate imperatum, conſiſtit ſumma perfectio charitatis, & non in ipſa charitate ſecundùm ſe tantùm, ſed vt exercet opus martyrij patienter ſuſtinens mortem propter Deum. Quæſtionem hanc expreſsè mouet Diuus Thom. in 2.2.q.124.art.1.ad tertium: cuius doctrinam ſi attentè legerent, vel nõ negligerent quidam moderni Theologi, multò aliter ſentirent & loquerentur de merito & perfectione charitatis & Chriſtianæ vitæ. Ego verò qui per omnia ſancti Doctoris doctrinam ſanam ſequi profeſſus ſum, pro deciſione huius quæſtionis ſequentes concluſiones ſtatuo.

Prima concluſio ea ſit, quæ habetur ſecundo loco inter concluſiones à principio thematis propoſitas. Chriſtianæ vitæ perfectio ſpecialiter & ſimpliciter & per ſe & eſſen-

eſſentialiter attenditur ſecundũ charitatẽ: ſed ſecundùm alias virtutes ſecundũ quid. Secundariò autem & inſtrumentaliter illa perfectio in conſilijs conſiſtit, quę quidem ordinantur ad remouenda impedimenta charitatis, ſicut & præcepta alia à præceptis charitatis, quanuis aliter & aliter. Illa quidem ad remouenda impedimenta, quæ deſtruunt charitatem: Hæc vero ad ea quæ impediunt actum charitatis. Hæc concluſio plurimas habet partes: ſed omnes ſunt expreſſæ in doctrina Diui Thomæ. Prima pars, quòd Chriſtianæ vitæ perfectio ſpecialiter & ſimpliciter, & per ſe & eſſentialiter attendatur ſecũdùm charitatem: & ſecundùm alias virtutes ſecundùm quid: colligitur expreſsè vbi ſupra arti. 1. in corpore, & ad ſecundũ argumentum. & ex artic. 3. Etenim in corpore articuli, ponit particulam illam ſpecialiter. Vbi Caietanus aduertit, quòd eſt mendum in litera, & quod deberet dici ſubſtãtialiter. Et probat ex ſolutione ad ſecundũ argumentum. Vbi manifeſtè diſtinguitur natura contra accidentia. Natura autem,

eſſen-

eſſentia & ſubſtantia idem ſunt in propoſito. Apparet quoque ex articulo tertio. Vbi clarè diſtinguitur perfectio eſſentialiter contra accidentaliter: & expreſsè ſubditur, quòd eſſentialiter conſiſtit in charitate. Hæc Caietanus. Verumtamen optimè ſeruatur intentio Sancti Thomæ, etiam ſi legamus, ſpecialiter: intendit enim, quòd ſpecies Chriſtianæ vitæ, & perfectio illius conſiſtit in charitate: Ita vt idem ſit dicere Chriſtianæ vitæ perfectio ſpecialiter, &c. ac ſi diceremus ſecundùm propriam ſpeciem attenditur ſecundum charitatem. Quòd autem dicit ſimpliciter, habetur in ſolutione ad ſecundum, & ſignificat, quòd ſimpliciter loquendo ſicut vita conſiſtit in charitate. Iuxta illud ſecundæ Ioannis tertio. Qui non diligit manet in morte: ita etiam perfectio vitæ attenditur ſimpliciter loquendo ſecundum charitatem, hoc eſt, ſecundum quòd ipſa charitas in ſe ipſa maior eſt & perfectior, per quam anima Deo coniungitur. Quòd autem diximus per ſe & eſſentialiter, expreſsè habetur

articulo

art. 3. vbi ſuprà. Probatur ergo concluſio quantùm ad omnes illas particulas ratione D. Thomæ quæ mihi demonſtratio eſt. Vnumquodq; dicitur eſſe perfectum, inquantum attingit proprium finem, qui eſt vltima rei perfectio: charitas autem eſt quæ vnit nos Deo, qui eſt vltimus finis humanæ mentis, nam qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo, vt dicitur 1. Ioannis. 4. ergo ſecundùm charitatem ſpecialiter & eſſentialiter attenditur perfectio Chriſtianæ vitæ. Confirmat etiam D. Thom. ex illo ad Coloſſ. 3. Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Poſſumus etiam confirmare eandem concluſionem tali ratione. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis (quæ maxima peripatetica eſt) v. g. ſi ſimpliciter album eſt propter albedinem quam habet, ergo perfectius album erit propter perfectiorem albedinem, ergo ſimiliter ſi vita Chriſtiana conſiſtit in charitate per quam viuit fides & ſpes & reliquæ virtutes, neceſſe eſt, vt perfectior vita Chriſtiana attendatur ſecundùm perfectiorem

ctiorem charitatem, per ſe & eſſentialiter & ſimpliciter loquendo. Hoc autem non obſtat, quominus per aliud ſeu per accidens & ſecundariò & ſecundùm quid dicatur Chriſtianæ vitæ perfectio attendi ſecundum alias virtutes: vt expreſsè docet Diuus Thomas in artic.3.ſupra. Obſeruandum tamen eſt obiter, quòd charitas hìc non contraponitur gratiæ habituali, ſed alijs virtutibus. Etenim gratia ipſa radix eſt vitæ æternæ: ſed per ipſam non exercentur immediatè operationes vitales, reſpectu quarum cõſiderat Diuus Thomas Chriſtianæ vitæ perfectionem ſupponens radicem neceſſariam vitalium operationum eſſe gratiam infuſam, ſiue illa diſtinguatur à charitate vt re vera diſtinguitur ſecundum Thomiſtas, ſiue non diſtinguatur ſecundùm Scotiſtas. Quomodo autem ſecundum quid & inſtrumentaliter illa Chriſtianæ vitæ perfectio in conſilijs conſiſtat; optimè explicat Diuus Thomas vbi ſuprà, cuius verba in noſtra concluſione tranſlata, non opus habent explicatione: ſunt enim exercitationes aliarum

virtutum optima inſtrumenta, quæ dum mouētur ab ipſa charitate ad finem ipſiuſmet, poſſunt pertingere inſtrumentaliter ad augmentum charitatis in virtute principalis mouentis: quę eſt ipſa charitas: quem admodū & penicillus attingit inſtrumentaliter in virtute principalis agentis ad efficiendam imaginem. Et propterea dicit D. Tho. quòd perfectio vitæ Chriſtianæ inſtrumentaliter in conſilijs conſiſtit: quoniam obſeruantia conſiliorum eſt optimum inſtrumentum ad augmentum charitatis. Poſsibile tamen eſt, vt ſeruans conſilia nō ſit tam perfectus in charitate, quam alius, qui non ſeruat conſilia, vt in ſequentibus ampliùs explicabitur.

1 Hanc concluſionem probat D. Thom. ex collationibus patrum collatione. 1. c. 7. vbi dicit Abbas Moyſes, ieiunia, vigiliæ, meditatio ſcripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, nō perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt: quia non in ipſis cōſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa peruenitur ad finem: & ſupra præmiſerat, ꝙ ad perfectionem charitatis iſtis gradibus

dibus aſcendere nitimur. Eandem concluſionem probant tria argumenta, quæ fecimus in principio quæſtionis præcedentis. Obſeruandum eſt autem, quod D. Thom. in prædicto artic. 3. inquit, per ſe quidem & eſſentialiter conſiſtit perfectio Chriſtianę vitæ in charitate, principaliter quidem ſecundum dilectionem Dei. Secundariò autem ſecundũ dilectionem proximi: de quibus dantur præcepta principalia diuinæ legis. Ex qua doctrina collige, quòd perfectio Chriſtianæ vitæ etiam conſiſtit in dilectione proximi per ſe & eſſentialiter nõ per ſe primo, ſed ſecundariò. Cuius ratio eſt, quoniam eadem charitate diligimus Deum & proximum ſicut noſmetipſos. Et idcirco D. Thom. poſuit perfectionem eſſentialem non in conſilijs, ſed in præceptis, videlicet ſeruandis: & non in quibuſlibet, ſed in pręceptis charitatis. Nam inquit præcepta alia à præceptis charitatis ordinantur ad remouendum ea quæ ſunt charitati contraria, cum quibus, ſcilicet charitas eſſe nõ poteſt. Conſilia autem ordinantur ad remouendũ impedimẽta actus cha-

ritatis quæ tamen charitati non contrarian tur: ſicut eſt matrimonium & occupatio negotiorum ſæcularium & alia huiuſmodi. Et de huiuſmodi præceptis & conſilijs dicit Auguſtinus in Enchiridio cap. 121. Quæcunque mandat Deus, ex quibus vnum eſt non mœchaberis: & quæcũque non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus vnum eſt, Bonum eſt homini mulierem non tangere: tũc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum in hoc ſæculo & in futuro. Diſtinguit itaque D. Thom. præcepta aliarum virtutũ à præceptis charitatis in hoc, quòd in obſeruatione præceptorum charitatis conſiſtit eſſentialiter & per ſe Chriſtianæ vitæ perfectio, in aliorum verò præceptorum vel conſiliorum obſeruantia conſiſtit inſtrumentaliter: ſicut dictum eſt. Et hæc diſtinctio ante oculos habeatur pro his quæ dicenda ſunt in vltima quæſtione circa meritum reſpectu præmij eſſentialis vel accidentalis.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondendum eſt. In quorum ſolutione amplius

plius explicabitur quanta ſit prædictæ doctrinæ veritas. Ad primum igitur reſpondetur, quòd perfectio humanorum ſenſuum præcipuè in hoc conſiſtit vt in vnitatem veritatis conueniant, ſecundum illud 1. ad Corinth. 1. Sitis perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia. Charitas autem eſt, quæ conſenſum in hominibus operatur: & idcirco etiam perfectio ſenſuum radicaliter in perfectione charitatis conſiſtit. Hæc ſolutio eſt Diui Thomæ vbi ſupra, artic. 1. ad primum. vbi aduertit Caietanus, quòd talem conſenſum efficit charitas non ſolum in diuerſis hominibus: ſed etiam in eodem homine: operatur enim omnium ſenſuum adunationem & quietem reſpectu obiecti fidei. Quò fit vt etiã diuerſi homines fideles conſentiant in vnitate veritatis. Poterat quidem D. Thom. facilè diſſoluere argumenti conſequentiam, ſi diceret, quòd Apoſtolus loquebatur de perfectione iudicij circa agibilia propter Deum. Vnde non ſequitur, quòd in illius ſenſus perfectione conſiſteret Chriſtianæ vitæ eſſentialis perfectio. Sed

voluit nihilominus explicare quomodo etiam illa ſenſuum perfectiõ oriretur ex perfectione charitatis tanquam ex radice. Vnde non ſequitur, quòd Chriſtianę vitæ perfectio cõſiſtat ſolum radicaliter in charitate, vt aliqui perperam arbitrantur: quin potius formalis & eſſentialis pfectio Chriſtianæ vitæ conſiſtit in charitate quanuis eadem ſit radix omnis perfectionis quæ inuenitur in operationibus aliarum virtutum quatenus per illam reducuntur & attingunt ad finem.

Ad confirmationem reſpondetur: ꝙ omnis contemplatio præſentis vitæ continetur ſub lumine fidei, quod vmbraticum eſt & imperfectum & euacuandum cùm venerit quod perfectum eſt. Quapropter nulla præſentis vitæ cognitio eſt eiuſdem ſpeciei cum viſione beatifica. At vero dilectio charitatis eiuſdem ſpeciei eſt, idem habens formale obiectum cum dilectione vitæ beatæ. Iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. Charitas nunquã excidit, vt etiam docet Diuus Thomas Secunda Secũdæ. Quò fit vt operatio charitatis

ritatis in via maiorem habeat ſimilitudinem cum operatione beatifica quatenus in illa includitur perfectio charitatis quæ fruitur bono præſenti. Imo ipſa viſionis perfectio commenſuratur, & reſpondet dilectionis perfectioni in via, iuxta illud Matthæi 5. Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Cordis enim munditia in diuino amore conſiſtit, per quem mens diſcedit ab impuritate proprij amoris & aliarum creaturarum; ita vt nihil diligat niſi Deum & propter Deum. Non ergo obſtat, ꝙ cognitio pręſentis vitæ ſeu cõtemplatio habeat maiorem ſimilitudinem ſecundũ cõmunem rationem potentiæ cognoſcitiuę cũ viſione beatifica, quominus charitas maiorem habeat ſimilitudinem cum vita beata in qua includitur aliquid eiuſdem omnino ſpeciei, ſcilicet, dilectio ſummi boni, quæ non differt ſpecie propterea qđ ſit abſens vel pręſens intellectui.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, cum D. Thoma vbi ſupra artic. 1. ad ſecundum; quod dupliciter poteſt aliquis dici perfectus. Vno modo ſimpliciter: quę

quidem perfectio attenditur ſecũdum id quod pertinet ad ipſam rei naturam. Verbi gratia. Si dicatur animal perfectũ, quando nihil ei deficit ex diſpoſitione membrorum & alijs huiuſmodi quæ requiruntur ad vitam animalis. Alio modo dicitur aliquid perfectum ſecundum quid, quę quidem perfectio attenditur ſecundum aliquid exteriùs adiacens. V. g. in albedine vel nigredine vel in aliquo huiuſmodi. Vita autem Chriſtiana ſpecialiter in charitate conſiſtit, per quam anima Deo coniungitur: & ideo ſecundum charitatem attenditur ſimpliciter perfectio Chriſtianę vitę, ſed ſecundum alias virtutes ſecundum quid. Et quia id quod eſt ſimpliciter eſt principaliſsimum & maximum reſpectu aliorum, inde eſt, quod perfectio charitatis eſt principaliſsimum reſpectu perfectionis quę attenditur ſecundũ alias virtutes. Hęc Diuus Thomas, vbi obſeruet Theologus verè Thomiſta imo vere Theologus, quanta ſit differentia inter bonitatem & perfectionem, quam habet homo per charitatem & inter bonitatem &

perfe-

perfectionem quam habet ex alijs virtutibus, quod illa quidem comparatur ad ipſam naturã,& integritatem animalis: hęc vero cõparatur accidentibus exteriùs adiacentibus. Vnde colligemus in ſequentibus, quàm rectè congruat, quòd actibus charitatis ſecundùm ſe reſpõdeat beatifica viſio, quę à Theologis dicitur eſſentiale pręmium. (De quo poſtea altiùs philoſophabimur) actibus verò & meritis aliarum virtutum reſpondeat, quantum eſt ex parte proprij obiecti ipſarum virtutũ, pręmium quod dicitur accidentale: quod quidem pręmium multiplex eſt & diuerſarum ſpecierum pro diuerſitate ſpecifica bonitatis quę inuenitur in actibus aliarum virtutum imperatis à charitate. Obſeruandum etiam eſt, quòd inquit Diuus Thomas. Vita autem Chriſtiana ſpecialiter in charitate conſiſtit per quam anima Deo coniungitur (vbi per hoc quod dicit ſpecialiter intelligendum eſt eſſentialiter vel ſubſtantialiter ſecundum propriam ſpeciem) mors autem huius vitę priuatiua conſiſtit in carentia dilectionis per quam

anima Deo cõiungebatur. Quod enim, vt inquit Auguſt. quod anima eſt corpori, hoc eſt Deus animæ: & idcirco dicitur. 2. Ioannis 3. Qui non diligit manet in morte. Huic doctrinæ conſonat quod dicit Auguſtinus. Pondus meum amor meus. Et iterum ſi terram amas terra es, ſi Deum amas, audeo dicere Deus es. Si hæc aduerterent falſi trutinatores meritorum virtutum ſecundum valorem propriorum obiectorum, non ita euidenter repugnarent doctrinæ catholicæ Sancti Thomæ. Sed non mirum eſt, quod mendaces ſint filij hominum in ſtateris. Vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum, volentes noua dogmata introducere. Quamobrem meritò in ſexta Concluſione fundamentalium diximus derogare dignitati charitatis, & tanquam erroneum à cordibus fidelium abijciendum eſſe, aſſerere præmium eſſentiale Beatorum principalius reſpondere operibus aliarum virtutum quam actibus charitatis quibus illa opera imperantur. Quanta enim ſit dignitas charitatis, ſi vera charitas eſt, etiam quantumlibet minima

ex præ-

ex prædictis patet, & ex encomijs Apoſtolicis 1. ad Corinth. 12. & 13. Dum inquit, Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro ſuper eminentem ſcientię charitatem Chriſti (eſſe nanq; digniorem charitatem ſcientia fidei ac proinde omni cognitione quæ ſub fide militat catholica doctrina eſt.) Quod ſi charitas excellentior eſt fide, neceſſe eſt reliquas virtutes excedere merito & dignitate, ergo per bonam conſequentiam ex antecedenti catholico colligitur cõcluſio ita certa ꝙ oppoſitũ ſit erroneum. Facio enim talem ſyllogiſmũ. Fides docet & communis ſanctorum Patrum conſenſio ſic intelligit, ꝙ charitas eſt maioris excellẽtię & meriti, quã aliæ virtutes quæ propter motionẽ illius vitã habẽt, & finem vltimũ attingũt, vt patet ex illo, ſi linguis hominũ loquar & angelorũ, &c. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam. Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, nihil ſum nihil mihi prodeſt, ſed præmium eſſentiale eſt potiſsimum quod meritis Chriſtiani reſpondet, ergo neceſſe eſt quod principalius re- *1. Cor. 13.*

ſpon-

ſpondeat meritò charitatis imperãtis quã operibus aliarum virtutũ imperatis. Conſequentia eſt euidens & antecedens de fide, ergo concluſionis oppoſitum eſt erroneũ: quomodo autem hoc inconueniens euidenter ſequatur ex illorum opinione qui aiunt maius eſſentiale præmium aſſecuturum martyrem ex eo quòd ex æquali charitatis actu martyrium patitur: quam alius qui ſimili charitate aquæ frigidæ potum pauperi dederit: nunc breuiter oſtendo. Suppono enim, id quod aduerſarij cõcedunt, quòd charitas quantumlibet minima ſufficit pati quodlibet martyrium, ſi enim vera charitas eſt, Deum diligit ſuper omnia: potens eſt ergo reſiſtere cuilibet tentationi & quodlibet opus virtutis impe rare & exercere; vt patet ex doctrina D. Thom. ex 3. Sentent. diſtict. 31. quæſt. 1. & ex 4. Sentent. diſtin. 49. quæſt. 5. artic. 1. ad ſecundum. Propterea enim D. Thom. dicit artic. 5. quæſt. 24. in 2. 2. quòd charitas non creſcit extenſiuè, & in 4. Sentent. vbi ſupra ait, quod qui ſeruat præcepta & conſilia non eſt neceſſarium quod habeat ma

iorem

iorem charitatem, quam qui tantum ſeruat præcepta, imo iſte poteſt habere maiorem charitatem: quamuis vt in plurimum, qui ſeruat præcepta & conſilia habeat maiorem charitatem. Hæc tamen magnitudo tantùm conſideratur ſecundùm intenſionem charitatis, non ſecundum extenſionem; ſecundum quam non ſolum charitas, ſed etiam nulla virtus moralis poteſt augeri extenſiuè: quia omnis vera virtus ſeſe extendit ad omnia obiecta ſuæ ſpeciei in omni loco & tempore. Hæc Diuus Thomas. Quo ſuppoſito fundamento, talem caſum ſiue euentum ſtatuemus. Sit Petrus qui charitate intenſa vt decem patiatur crudele martyrium. Sit etiam Paulus qui ex æquali charitate det pauperi potum aquę frigidę. Dices ergo qui noſtram doctrinam calumniaris, quòd plus gloriæ eſſentialis: aſſequetur ille martyr exercens fortitudinem ex tali charitate, quam alter qui ſimili charitate exercebat miſericordiam. Tunc ſic argumnetor, & rogo quãtùm excedat illud prę̃miũ eſſentiale martyris ratione & merito martyrij prę̃mium

alterius

alterius (neceſſe eſt enim, proportionari ſi quidē ſunt eiuſdē ſpeciei) ſit ergo exceſſus V. g. in duobus gradibus. Tunc ſit Ioānes, qui patiatur ęquale martyriū ęqualia tormenta, ex charitate intenſa vt vnum, quod eſt poſsibile; ergo Ioanni reſpondebunt proportionabiliter tres gradus eſſentialis præmij, vnus quidem pro actu charitatis intenſo vt vnū: duo autem pro actu æqualis martyrij. Mihi ſanè hæc conſequutio euidens eſt: propterea dixi, illud inconueniens ſequi ex illa opinione. Tutiſsimum ergo eſt, imò, vt videtur, neceſſarium ſecundum fidem, aſſerere præmium eſſentiale commenſurari cum actus charitatis intenſione à quo aliarum virtutum opera imperantur & mouentur in vltimum finem, & tota ratio meriti reſpectu præmij eſſentialis competit eis ſolum vt moueantur & imperantur ab actu charitatis: itaq; non oportet diſtinguere partem præmij eſſentialis correſpondentem charitati imperanti, & aliam partem correſpondentem actui fortitudinis martyris, qui mortem patitur: ſed totum ipſum præ-

mium

mium eſſentiale commenſuratur cum me rito actus charitatis, & totum martyrio propter charitatem debetur. Cęterùm ipſi martyrio reſpondet inſuper inſigne præmium accidentale ex proprio obiecto, & exequutione excellentis actus fortitudinis, dum realiter martyr aſsimilatur Chriſto morienti, dum pro illo ſanguinem fundit, & vitam amittit temporalem. Sed hoc in ſequentibus amplius explicabitur.

Ad confirmationem reſpondetur, cum D. Thom. 12. quæſt. 66. artic. 4. ad ſecundum. quòd patientia dicitur habere opus perfectum in tolerantia malorum in quibus non ſolum excludit iniuſtam vindictã quam excludit iuſtitia, neq; ſolum odium quod facit charitas, neq; ſolũ iram, quod facit mãſuetudo: ſed etiam excludit triſtitiã inordinatam quæ eſt radix omnium prædictorum. Et ideo in hoc eſt perfectior & maior, quia in hac materia extirpat radicem: non autem eſt ſimpliciter perfectior omnibus alijs virtutibus. Hactenus Diuus Thomas explicans teſtimonium illud Iacobi, Patientia opus perfectum habet. Id

ipſum

ipſum expreſsiùs docet 2.2. quæſt. 136. art. 2. ad primum. Non igitur ex illo teſtimonio conuincitur, quòd patientia ſit perfectio eſſentialis Chriſtianæ vitæ cum ipſamet ex charitate perficiatur & valorem accipiat ad finem vltimum conſequendum.

Ad tertium argumentum reſpondet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 184. arti. 3. ad primum, quòd in illis verbis Domini aliquid ponitur quaſi via ad perfectionem, hoc ſcilicet quod dicitur, Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus. Aliud autem ſubditur in quo perfectio conſiſtit, ſcilicet, ſequere me. Vnde Hieronymus ſuper Matth. ait, quòd non ſufficit tantùm relinquere: ideo Petrus adiungit quod perfectum eſt, id eſt, ſequuti ſumus te. Ambroſius autem ſuper illud Lucæ 5. ſequere me dicit, Sequi iubet non corporis greſſu, ſed mentis affectu quod fit per charitatem. Et ideo ex ipſo modo loquendi apparet, ꝙ conſilia ſunt quædam inſtrumenta perueniendi ad perfectionem dum dicitur, Si vis perfectus eſſe, vade & vende &c. & veni & ſequere me, quaſi dicat hoc faciendo

ad hunc finem peruenies. Hæc D. Thom. Non itaque voluntaria paupertas eſt perfectio eſſentialis Chriſtianæ vitæ, ſed charitatis affectu Chriſtum ſequi.

Ad quartum argumentum, ampla ſe offerebat materia diſſerendi de gradibus charitatis in perfectione & profectu, quē ſinguli Chriſtiani tenentur habere. Et ſimiliter de perfectione ſtatuum in Eccleſia. Sed quoniam aliorſum properamus, remittimus lectorem, vt attente legat D. Thom. in 2.2. quæſt. 183. per totam. & in quæſtio. 184. artic. 2. & artic. 4. & 5. & 6. & reliquis ſequentibus. Duntaxat in præſenti neceſſe eſt obſeruare quanta ſit differentia inter perfectionem perſonalem Chriſtiani & inter perfectionem ſtatus. Perfectio quidem perſonalis conſiſtit in charitate: perfectio autem ſtatus conſiſtit in medijs conuenientibus ad acquirendam perfectionem charitatis ad quorum exercitium ſe dedicat & obligat qui profitetur ſtatum religionis vel epiſcopatus. (Hi enim duo ſtatus perfectionis diſtinguuntur à D. Tho. & à Theologis in eccleſia.) Perfectio au-

tem perſonalis in charitate triplex diſtinguitur à D. Tho. vbi ſupra, art. 2. Vna quidem abſoluta quæ attenditur non ſolum ſecundum totalitatem ex parte diligentis, ſed etiam ex parte diligibilis prout, ſcilicet Deus tantum diligitur quantum diligibilis eſt, & talis perfectio non eſt poſsibilis alicui creaturę, ſed competit ſoli Deo. Alia autem eſt perfectio quæ attenditur ſecundum totalitatem abſolutam ex parte diligentis, prout ſcilicet affectus ſecundum totum ſuum poſſe ſemper actualiter tendit in Deum, & talis perfectio non eſt poſsibilis in via, ſed erit in patria.

Tertia autem eſt perfectio, quæ neque attenditur ſecundum totalitatem ex parte diligibilis, neque ex parte diligentis, quantum ad hoc; quòd ſemper actu feratur in Deum, ſed quantum ad hoc quòd excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum, & talis perfectio poteſt in hac vita haberi dupliciter. Vno modo inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod contrariatur charitati, ſicut eſt peccatum mortale, & ſine tali

perfectione charitas eſſe non poteſt, & eſt de neceſsitate ſalutis. Alio modo in quantum ab affectu hominis excluditur etiam illud quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, ſine qua perfectione charitas eſſe poteſt, vt eſt in incipientibus & proficientibus. Hæc Diuus Thomas. Vnde etiam diſtinguit ipſe Diuus Thomas tres gradus charitatis in 2.2. quæſtione 24. articul.9. Videlicet, quòd eſt charitas incipiens & proficiens & perfecta, qui quidem gradus diſtinguuntur ſecundum determinatas actiones vel ſtudia ad quæ homo perducitur per augmentum charitatis. Nam principio quidem charitas exercet hominem in ſtudio recedendi à peccato, & reſiſtendi concupiſcentijs eius. Et iſti homines dicuntur inſipientes, in quibus charitas eſt nutrienda vel fouenda ne corrumpatur. Secundum autem ſtudium ſuccedit, vt homo principaliter intendat ad hoc, quòd in bono proficiat quod pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, vt in eis charitas per

augmentum roboretur. Tertium autem ſtudium eſt, vt homo ad hoc principaliter intendat, vt Deo inhæreat & eo fruatur quod pertinet ad perfectos qui cupiunt diſſolui & eſſe cum Chriſto. Hanc doctrinam deſumit Diuus Thom. ex Augustino tractatu. 5. ſuper primam Canonicam Ioannis. Circa iſtos tres gradus obſerua, ꝙ quilibet eorum non conſiſtit in indiuiſibili: ſed eſt in quolibet maius & minus ſecundum maiorem vel minorem intenſionem charitatis & differentiã ſtudij circa illa exercitia. Diſtinguntur autem illi tres gradus, quia ſunt notabiles in proceſſu Chriſtianæ vitæ. Quemadmodum vita hominis diſtinguitur in ætates determinatas.v.g. in ætatem infantilem & pueritiæ & adoleſcentiæ, & iuuentutis, & in virilem ætatem & ſenilem ac decrepitam. Itaque per ſimilitudinem ad iſtos gradus diſtinguit Diuus Auguſtinus tres in vita Chriſtiana. Ait enim vbi ſupra, charitas cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita roboratur: cum fuerit roborata: perficitur. Rurſus, ſtatus perfectionis duo ſunt

in ec-

in eccleſia, ſcilicet, religioſorum & epiſco porum, quos tantùm diſtinguit D. Thomas 2.2. quæſt. 184. arti. 5. & 6. Eſt autem differentia inter iſtos duos ſtatus perfectio nis, quòd ſtatus religioſorum eſt quaſi diſcipulorum, & ſtudentium per certa quædam media, quæ profeſsi ſunt, ad acquiren dam charitatis perfectionem. At verò ſtatus epiſcoporum eſt quaſi magiſtrorum, & iam in charitate perfectorum, & alios perficientium, vt eleganter explicat Diuus Thomas vbi ſupra, artic. 7. Vnde quando aliquis religioſus aſſumitur in epiſcopum aſcendit ad perfectiorem ſtatum. Profiten tur enim epiſcopi actus quoſdã heroicos, videlicet, paſcere oues Chriſti exemplo proprio & doctrina: & pro illis ſi opus fue rit, non ſolùm bona temporalia, ſed etiam vitam impendere. Et quanuis multi alij hoc poſsint facere: tamen non id faciunt ex profeſsione ſtatus & obligatione officij, ſed vel ex cõmiſeratione vel ex libera voluntate & affectu charitatis proximi: ſicut multi religioſi & populum ædificant non ſolùm verbis, ſed etiam virtutum

exemplis. Cæterùm inter ipſas religiones, quæ ſunt ſtatus perfectionis aliquid eſt cõmune omnibus, videlicet tria vota ſubſtantialia: quæ pertinent intrinſecè ad ſtatum religionis, ſcilicet obedientiæ votum, ſimul & caſtitatis & paupertatis. Quæ quidem quanuis ſint Euangelica conſilia; tamen iam poſt profeſſionem religioſi ſunt in præcepto, & illorum violatio ſacrilegium eſt contra virtutem religionis, ad quam pertinet votum obſeruare. Quantùm ad hoc igitur omnes religioſi habent ſtatum eiuſdem ſpeciei. Cæterùm inter ſe ſe habent quaſdam quaſi indiuiduales cõditiones, per quas differunt, & dicuntur magis vel minus perfectæ religiones. Quæ quidem perfectio & eius differentia deſumitur, tum ex particulari fine, tum etiam ex medijs cõuenientibus magis vel minus ad obſeruantiam conſiliorum quæ profeſsi ſunt & aſſecutionem particularis finis. v.g. Ordo monachalis habet pro fine particulari exercere contemplationem; ſeu vitam contemplatiuam, quæ ſecundũ ſe perfectior eſt quàm vita actiua, vt pote

Conueniẽtia & differẽtia ſtatus religionum.

C 3 quæ

quæ magis apta eſt & magis affinis ad augmentum charitatis, Dei aſſequendum. Eligit autem ad illũ finem maximã abſtinentiam & ieiunia, vigilias multas, vocalem orationem, & diuinas laudes cũ Canticis & Hymnis ſpiritualibus, clauſurã ſtrictiſsimam cũ quaſi perpetuo ſilentio, quæ omnia conuenientiſsima ſunt media, vt poſtea ſuo tempore in oratione mentali ſpiritus erigatur in Deum & mens rapiatur affectu charitatis Dei. Procul dubio huiuſmodi religiones valdè perfectę: ſunt inter quas quæ nã perfectiſsima ſit, odioſum eſſet determinare. Cuidam videbitur Carthuſienſiũ religio perfectiſsima inter monachales: alijs verò perfectiſsima videbitur religio Ciſtercienſiũ, alijs aliæ, vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abũdet. Similiter religiones ordinũ mendicãtiũ habẽt ꝑ fine particulari ſalutẽ animarũ, non quidẽ quod ex officio ad earũdẽ ꝓfeſſos pertineat prędicare vel cõfeſsiones audire, ſed quia ꝓfitentur, ita ſe diſponere, vt ex cõmiſsione poſsint huiuſmodi munia dignè & fructuoſè exercere. Media vero quæ aſſumunt ſunt aptiſsima

& ad huiuſmodi finem proportionata. Eligunt enim & profitentur plurima ieiunia, multas vigilias, frequentiſsimas orationes tam vocales quam mentales, paupertatem & aſperitatem in veſtibus, duritiem in lectulis, & alia multa ad carnis mortificationem aptiſsima. Ea igitur religio erit ſtatus perfectior, quæ ſuppoſito fine tam excellenti, talia media profitetur quæ magis ad finem conducunt. Loquor autem de fine, primò quidem ſalutis propriæ, deinde proximorum. Quid enim proficit homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Hinc prouenit, vt quanuis aliquis ſtatus religionis ſit ſecundùm ſe perfectior: tamen Eccleſia concedat tranſitum, ſecundùm ius cõmune ad religionem Carthuſienſium ex religione mendicantium etiam ordinis prædicatorum. Iudicat enim meritò, quod ad religionem tam ſtrictam nemo tranſire cenſendus eſt, niſi ad fugienda pericula, in quibus periclitatur in ſæcularium conuerſatione & conuictu. Imo verò etiam Epiſcopis, qui ſunt in ſtatu perfectiſsimo Eccle-

ſiæ, cōceditur aliquando facultas tranſeundi ad ſtatum religionis: vbi ſalutem animę propriæ ſecuriùs aſſequi arbitrantur: eo quod non habeant tantam perfectionem charitatis, quanta ad epiſcopatus officium requiritur.

Ex prædictis quæ planè colliguntur ex doctrina D. Thom. vbi ſuprà, colliguntur duo corollaria. Primum eſt, non eſt idem aliquem eſſe perfectū, & eſſe in ſtatu perfectionis (loquimur enim de ſtatibus ſecundùm ea quæ exteriùs aguntur per comparationem ad eccleſiam) poteſt enim coniugatus eſſe ſimpliciter multò magis perfectus quàm bonus religioſus, imo quam bonus Epiſcopus, qui ſunt in ſtatu perfectionis. De qua re videatur D. Thomas in quodlibeto. 1. art. 14. ad ſecundum argumentum. Ratio huius eſt, quia perfectio ſimpliciter conſiſtit in charitate: perfectio autem ſtatus conſiſtit in præparatorijs ad illam perfectionem. v. g. in profeſsione obedientiæ caſtitatis & paupertatis, & in alijs huiuſmodi. Et ita ſoli religioſi & Epiſcopi dicuntur perfecti, quaſi ſtatum per-

fectionis habentes. Secundum corollariũ eſt, quod ille ſtatus religionis erit minus perfectus, in cuius profeſsione & conſtitutionibus minor auſteritas inuenitur, quãtumlibet illa religio finem excellentiſsimum vel contemplationis vel ſalutis animarum profiteatur. Ratio huius eſt, quia ſicut ſtatus religionis conſiſtit in profeſsione trium ſubſtantialium votorum, quę ſunt optima inſtrumenta ad perfectionem eſſentialem, quæ in charitate cõſiſtit, ita maior perfectio ſtatus (ſuppoſita finis particularis excellentia) cõſiſtit in illis medijs, quæ ſecundùm ſe commodiora ſunt ad colenda & obſeruanda tria prædicta vota. Cum igitur talia media ſint ieiunia, vigiliæ, ſilentium, & omnis vitæ auſteritas, quæ omnia antiqui Patres religionum fundatores elegerunt, & ſeruanda poſteris tradiderunt: apertè colligitur, illum ſtatum religionis eſſe omnium imperfectiſsimũ, in quo nulla aut ferè nulla vitæ auſteritas ex conſtitutione ſeruatur, verbi gratia, nullum ieiunium, nulla qualitatis cibi aut potus parſimonia ex lege ſeruatur: niſi tan-

tum illa, quæ vniuerſos Chriſtianos ex Eccleſiæ præcepto complectitur. Comparo nunc ſtatum ad ſtatum, non ſtantes illic vel alibi adinuicem, hi enim different ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem charitatis. Atque vtinam non differant aliqui ſecundum differentiam boni & mali. Nam vt inquit Auguſtinus. Non vidi meliores quam qui in religione profecerunt, neque peiores, quam qui in illa defecerũt. Quamobrem nemo de ſtatus ſui perfectione glorietur, niſi proprijs moribus cũ ſtatu cõueniat. Omnibus ergo plurimùm valebit humilitas. Quid enim proderit aliquem eſſe in ſtatu perfectiori, ſi ſtãtem in minùs perfecto ſtatu cõtemnat? Et rurſus qui in ſtatu minus perfecto cõſiſtit, non ſibi arroget Chriſtianæ vitæ eſſentialem perfectionem, cũ nemo nouit, vtrum odio an amore dignus ſit, & homines videant ea quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Et idcirco admiretur & veneretur eũ qui maiorem vitæ auſteritatem ſeruat. Atq; ita ſuperiores adinuicem arbitrantes. Vt inquit Apoſtolus, Maiores

erimus apud Deũ: qui illuminabit abſcon dita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium,& tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Parcant ſcholaſtici Theologi, quòd quaſi officium meum oblitus,concionatoris potius ſtylum proſequutus fuerim. Fateor enim in hac parte me non poſſe,non ægrè ferre; quòd quidam ſub ſpecie deuotionis, perfectionem maximam facile promittãt omnibus per quædam exercitia minimũ auſteritatis, & cruciatus carnis habentia. Cùm tamen, vt in plurimũ, eum qui magnam charitatis perfectionem aſſequi deſiderat, oporteat etiam plurimũ huius crucis amplecti. Rationabile quidem oportet eſſe Chriſtiani obſequium; ſed non Galeni aut Hippocratis medicinalibus rationibus, ſed ſanctorum Patrum ſpiritualibus alphoriſmis & exemplis commenſuratũ. Aliâs,væ Diuum Benedictum,vę Diuum Bernardum,væ Diuum Dominicũ,Franciſcum, & reliquos religionum fundatores: qui tam rigida media pro charitatis perfectione acquirenda,& ſibi elegerunt, & ſuis filijs ſeruanda tradiderunt. Quorſum

ſum enim tam carè emerent, quod faciliùs ſuauiſsimis medijs obtinere poterant? Hæc dixerim, vt cum quis ſtatum aliquẽ religionis ingredi parat, diſcernere ſciat, quid bonum, quid perfectius ſit, & quod ſuis viribus & ſpiritui magis conuenire iudicauerit, poſt multam orationem & prudentum conſilium eligat. Hæc etiam dixerim, vt aliquorũ calumnijs reſpõdeam, qui aiunt, nos dum charitatis eſſentialem perfectionem extollimus, bonis aliarũ virtutum operibus derogare. Imo verò aliarum virtutum plurimum exercitium cum charitatis radice & fine cõnectimus. Quocirca merito in quinta Concluſione diximus, ꝙ beatitudo ipſa quatenus reſpondet vt præmium bonorum operum, non erit maior intenſiuè propter plura merita, ſed propter maiora. Illud autem eſt maius meritum ſimpliciter in omni aliarum virtutum exercitio, quod ex intenſiore charitatis actu imperatur. Hactenus de ſolutione ad quartum argumentum. Dicimus enim ꝙ omnes tenentur habere perfectionem illam charitatis, quatenus perfectio conſide

ratur

ratur quantum ad hoc quòd excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum, quod eſt diligere Deum ſuper omnia. Cęterùm ſuper iſtam perfectionem non inuenitur alia in charitate, niſi intenſiua, vt docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 24. articulo. 5.

Ad quintum & vltimum argumentum reſpondetur, quòd Diuus Thomas loquitur illic de ſubſtantia in comparatione ad accidentia: & quoniam ſubſtantia eſt quæ per ſe primo recipit eſſe, idcirco dixit, quòd ſecundùm primum eſſe dicitur aliquid ens ſimpliciter, & per formam ſubſtantialem dicitur animal ſimpliciter. Ratio verò boni ſimpliciter, reſpicit finem, vel eſt ipſe finis. Et propterea res dicitur bona & perfecta inquan tum attingit proprium finem, qui eſt vltima rei perfectio. Cum igitur charitas non ſit ſubſtantia, ſed forma accidentalis ſupernaturalis, & comparata ad reliquas virtutes etiam infuſas, ipſa ſola verſatur immediatè circa ſummum bonum, vniendo mentem hominis cum illo, idcir

co eſſentia vitæ Chriſtianæ conſiſtit eſſentialiter in charitate: & ſimiliter maior perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſtit in hoc, quòd talis vita ſit perfectior: quod quidem facit intenſior charitas, quæ ſola magis vnit hominem cum Deo & facit magis adhærere vltimo fini. Cæterùm in alijs virtutibus & illarum exercitio conſiſtit Chriſtianæ vitæ perfectio accidentaliter & ſecundùm quid.

¶Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſi argumentum aliquid probaret, efficeret etiam, quòd omnis martyr haberet charitatem maiorem quam omnis non martyr: & quod omnes martyres eſſent æquales, quia illa videretur eſſe ſumma charitas qua maiorem nemo habet. Quæ omnia quàm falſa ſint patet: quoniam mater Dei non fuit martyr, neque Ioannes Euangeliſta, neque beatus Lucas, neque Diuus Baſilius, neque Diuus Benedictus, neq; Diuus Auguſtinus, neque Hieronymus, quibus omnibus & plurimis alijs viris ſanctiſsimis deberemus anteponere minimum martyrem. Senſus

igitur legitimus & neceſſarius illorũ verborum eſt, quòd charitas erga amicos nõ poteſt in aliqua operatione magis oſtendi, quam vt homo moriatur & vitam impendat pro bono amici. Cæterùm in diuina amicitia non opus eſt vt charitas noſtra ſit maior, quòd martyrium patiamur, ſed ſufficit, quod diligamus Deum ſuper omnia, vbi includitur promptitudo voluntatis ad moriendum & patiendum martyriũ pró Chriſto, cum opus fuerit. Quæ quidem animi prõptitudo in omni charitate quantumlibet minimè intenſa virtualiter ſaltem includitur. At verò ꝙ occaſio actualis martyrij ſe ſe offerat, ſiue cum obligatione præcepti, ſiue cum conuenientia conſilij & homo patiatur martyrium, non ſufficit vt ſit perfectior eſſentialiter in vita Chriſtiana: niſi tale martyrium ex maiore charitate, hoc eſt intenſiore, patiatur. Verum eſt tamen quòd moraliter loquendo, non contingit, quòd homo deliberet hîc & nũc mortem pro Chriſto pati, & quod non intenſius diligat quam antea diligebat. Quod ſi facta illa deliberatione poſt

ali-

aliquãtulum temporis rapiatur homo ad martyrium,& abſq; noua dilectione charitatis,conſtanter patiatur,aut certè præ nimio dolore oculus contemplationis turbetur, nihilominus illa paſsio in ſua radice meritoria eſt vitæ æternæ & præmij eſſentialis,ſed nõ intenſioris viſionis Dei,quàm ex merito charitatis habiturus erat. Id quod in ſequenti quæſtione fuſius explicabitur.

Quæſtio Tertia.

IAM tandem ad ſpinoſiora tranſeundũ nobis eſt: & quæſtionem magis ſcholaſticam & metaphiſicam diſcutere ac definire oportet. Propter hanc enim præcedentes duas diſputauimus. Quærimus ergo. An quolibet actu charitatis elicito vel imperato augeatur habitus charitatis? Quam quęſtionem fuſius diſputaui in noſtris cõmentarijs ſuper 2.2.q.24.art.6.Dubio 2.& 5. Nunc autem propter nouas cuiuſdam calumnias, qui noſtram doctrinã ſub noſtro expreſſo nomine parum eſſe

in fide tutam, quaſi ſacris canonibus Tridentini Concilij contrariam, cenſere auſus eſt. Quo zelo id egerit, Dominus iudicabit. Ego quidem certus ſum, me nõ aliam quam D. Thomæ doctrinam expreſsis verbis ſcripſiſſe, vt in eiſdem locis patebit. Sed iam quod inſtat agamus.

Varietatem opinionum in hac difficultate diſſoluenda inter ſcholaſticos Doctores ad tria capita reduxi in noſtris commentarijs vbi ſuprà, vbi ampliſsimè ſingularum opinionum cenſuram adieci: & ſententiam Diui Thomæ ſequutus, aduerſariorum argumenta diſſolui: ſed quoniam iterum neceſſe eſt in arenam deſcendere, opus eſt, vt diſputationis ſeries texatur: quædam ex prædictis breuiter commemorare: & quædam alia noua inſerere ad nouas obiectiones profligandas.

Prima ſententia nominalium eſt, videlicet Gabrielis & Maioris & aliorum in. 1. Sententiarum diſt. 17. qui ſatis apertè loquuntur. Aiunt enim, quod quolibet actu charitatis quantumlibet remiſſo augetur ſtatim charitas & gratia: ac proinde recipiet

piet homo ille maiorem gloriam propter huiuſmodi actus ſi in gratia deceſſerit, nihil diſtinguentes de gloria eſſentiali, vel accidentali. Hæc opinio vſque adeo placet quibuſdam nouiſsimis Theologis, vt putent eam eſſe definitam in Cõcilio Tridentino, vt paulò poſtea videbimus. Secũda ſententia eſt Scoti in 4. Sentent. diſtin. 22. q. vnica, quem ſequitur Ricardus in 2. Sentent. diſt. 16. qui aiunt, quòd cuilibet actui charitatis quantumlibet remiſſo reſpondebit maior gloria: ſed tamen in hac vita non dabitur homini maior gratia vel charitas habitualis ꝓpter actus remiſſiores, niſi ſe diſponat per actus feruentiores. Prior pars huius ſententiæ tali ratione probatur. Præmium reſpõdet meritis, ſed homo qui de nouò operatur (etiã remiſsè) de nouo meretur, ergo proficit in mercede recipienda, quòd ſi moriatur in gratia, dabitur illi. Ratio vero ſecundæ partis eſt. Quia quemadmodum in infuſione gratiæ & charitatis fit proportio cum diſpoſitione liberi arbitrij & quantitate intenſiua ipſorum habituum, ita in augmento

corũdem requiritur proportionata diſpoſitio. Profectò ratio iſta Scoti optima videtur. Sed poſtea examinabitur. Tertia opinio eſt D. Thom. vbi ſupra, arti. 6. quæ dicit quatuor. Primum eſt, nõ quolibet actu charitatis charitas augetur. Secundum eſt, quod quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum. Tertium eſt, quòd cùm homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, tunc charitas augetur in actu. Quartum eſt, quod quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamen ſtatim augetur. Hoc quartum dictum Diui Thomę videtur eſſe contrarium eius quod dixerat in 2. Sentent. diſt. 27. quæſt. 1. artic. 5. ad ſecundum. Vbi ait. Non quilibet actus charitatis meritorius meretur augmentum gratiæ. (Eſt autem eadem ratio de augmento charitatis.) Verum tamen nulla eſt contrarietas. Quoniam ibidem ſe explicat, quòd loquitur de merito augmenti quod non ſolum ſe habet vt meritum, ſed quodammodo vt cauſa ex qua conſequitur augmentum habitus. Loquitur itaque Diuus Thomas in 2.

Sen-

Sentent. de augmento gratiæ quod ſimul eſt præmium concomitans actum meritorium: quem ipſum oportet tunc eſſe ſimul proportionatam diſpoſitionem. Quo circa in 2.2. proprius diſtinxit, & conſiderauit differentiā meriti & diſpoſitionis proportionatæ: & ita dixit, ꝙ quilibet actus charitatis meretur augmentum, nō tamen quolibet actu augetur: quia non quilibet eſt proportionata diſpoſitio ad augmentū intenſionis habitus gratiæ vel charitatis. Et ſimiliter loquitur D. Thom. in 1.2. quæſt. vltima. art. 8. ad tertium. vbi ait, quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ: ſed gratia non ſtatim augetur, ſed ſuo tēpore, ſcilicet, cùm aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum. Ratio vtriuſque partis huius aſſertionis ferè ſimilis eſt rationi factæ pro ſententia Scoti. Sed poſtea amplius explicabitur à nobis. Sed iam veniamus ad nouam concertationem, & nouas calumnias refutandas. Nominalium ſententiam ego quatuor argumētis vbi ſupra refutaui, quorum quartum neceſſe eſt repetere, quoniā

aduerſarij vel noluerunt legere, vel neglexerunt, vel certè non intellexerunt. Eſt igitur argumentũ. Sequitur ex opinione nominalium, quòd nulla eſt proportio inter augmentum habitus charitatis aut gratiæ, quod reſultat ex actu charitatis exercito in vnico inſtanti, & inter augmentũ quod fit per actum charitatis æqualem in intenſione, continuatum tamen per aliquod tempus determinatum. Probatur ſequela (nam conſequentis quanta ſit falſitas imo quantus ſit error manifeſtum eſt). Sint Petrus & Paulus cum æquali habitu gratiæ & charitatis. V. g. intenſionis vt quinque & Petrus quidem eliciat actũ intenſum, vt quinq; in vnico inſtãti duntaxat: Paulus vero in eodem inſtãti cœpit habere ſimilem actum, & per quartã partem horæ cõtinuauit actum illũ cum eadẽ intenſioue. Tunc igitur probo, ꝙ in fine illius tẽporis Paulus habeat infinitũ charitatis & gratiæ augmẽtum ſecundũ intenſionẽ habitus. Sic enim argumẽ. Habitus charitatis Petri certũ augmentũ accepit ꝓpter actum dilectionis exercitũ in illo inſtanti. v. g. creuit vſq; ad

decem

decem (ſi teneãt ꝙ ſit augmentũ ſecundũ totam latitudinẽ intenſionis actus) vel erit vt octo vel ſecundũ aliquam: determinatã menſurã. Cùm igitur nulla ſit proportio inſtantis ad tempus nulla etiam erit proportio augmenti quod conſequitur ex illis actibus. Ad hoc argumentũ, quidã aiunt, ꝙ eſt argumentum calculatoriũ. Sed profecto hæc reſponſio indigna eſt philoſopho & dialectico. Nuſquam enim apud Ariſt. legimus, neque apud alios dialecticos talem conſequentiarum defectũ. Imò verò Ariſt. demonſtrat argumento calculatorio in quarto & ſexto Phyſicorum, ꝙ ſi mobile moueretur in inſtanti per aliquod ſpatium determinatum: neceſſe erat quòd in tempore quantumlibet minimo pertranſiret infinitum ſpatium: eo quòd in minimo tempore ſunt infinita inſtantia. Similiter nos argumentamur ſi in vnico inſtanti cum illa intenſione actus, ſiue per modum meriti ſiue per modum diſpoſitionis, augeſcit habitus vſque ad certam quandã intenſionem, ergo inquantulocunque tempore augeſcit in infinitum.

Probatur cõſequentia, quia in illo tempore non ſunt finita inſtantia, ergo ſi in quolibet inſtanti æqualiter augeſcit habitus propter æquale meritum, iam tranſacto illo tempore, imò dimidia vel quarta parte illius temporis, reliqua erit infinita intenſio in habitu. Confirmatur. Nam ſi dicas, ꝙ reliqua erit finita intenſio in habitu: neceſſe eſt quòd illa intenſio habeat proportionem determinatam cum alia intenſionem alterius habitus, quæ conſequuta eſt in Petro ex merito actus inſtantanei. Sit igitur v. g. centupla. Tunc eſto quidam alius tertius Ioãnes qui intra illud tempus multiplicet centũ dilectionis actus inſtantaneos eiuſdem intenſionis, tunc ſequitur: quòd tantũ augebitur habitus charitatis in Ioanne, quantum in Paulo, qui per totum tempus cõtinuauit actum dilectionis, & in nullo inſtanti Ioannes merebatur in quo non mereretur Paulus: & Paulus in pluribus alijs inter medijs adhuc merebatur, quod abſurdiſsimus eſt, dicere quòd Ioannes & Paulus erunt æquales in merito actus & in intenſione habitus. Imo verò ſi Ioannes

Mala ſolutio.

alium

alium actum inſtantaneũ habuiſſet excederet Paulum in merito illius actus & in intenſione habitus. Quod quidem eſt intelligibile & ridiculum & abſurdũ: quia Paulus in nullo inſtanti minus merebatur quam Ioannes. Nã quod immediatè ante illud inſtans, & immediatè poſt illud mereretur, non minuit rationem meriti in illo inſtanti continuatiuo partium temporis, in quo toto merebatur.

Sed quidã aiunt, ꝙ Ioannes plus merebretur propter maiorem difficultatem multiplicandi actus dilectionis, quàm ſit difficultas cõtinuandi. Sed hæc reſponſio indigna eſt viro prudenti. Mitto nunc, ꝙ difficultas in exercitio operis etiã ſi proueniat ex parte obiecti, non auget meritum reſpectu præmij eſſentialis quantùm ad maiorem intenſionẽ viſionis beatificę: ac proinde neq; reſpectu augmenti intenſiui ipſius habitus gratiæ vel charitatis, vt pãtet expreſsè ex doctrina Diui Thomæ 1. parte quæſt. 95. arti. 4. & 1. ad Corinth. 3. lect. 2. Verùm vt illis concedamus, quòd maior difficultas habeat talem effectum: hoc ta- *Alia mala ſolutio.*

men intelligi non poteſt de difficultate, quæ ſe tenet ex parte ſubiecti. Hæc enim potius minuit meritũ, quàm augeat, iuxta illud, Hilarem datorem diligit Deus. Cùm ergo intelligendum ſit de difficultate ex parte obiecti, quam vincit promptitudo voluntatis, manifeſtum eſt, quòd erit maioris meriti continuare actum dilectionis per tempus abſque vlla mentis diuagatione, quàm poſt mentis diuagationem, iterum contemplari. Certè viri ſpirituales riderent ſcholaſticos, qui maiorem difficultatem ponerent in multiplicandis actibus contemplationis, & dilectionis Dei: quam in continuatione intra idem tempus. In mentem venit. Exemplum ruſtici, cui Diuus Bernardus promittebat equum, cui Sanctus inſidebat: ſi ſemel diceret, Pater noſter, abſq; mentis diuagatione. Cumq; ruſticus cœpiſſet recitare attente, in mentem eius venit, an equus ſibi dandus erat cum ſella, & fræno, idque ſtatim voce interrogauit Bernardum: & dignam reſpõſionem accepit, iam diuertiſti. Quo facto prudentiſsimus Sanctus docere voluit,

luit,quantũ difficultatis eſſet mentem cõti nere in cõtinuatione cõtemplationis vel di lectionis Dei. Iuxta illud Sapiẽtis. Corpus quod corrũpitur aggrauat animã,&c. Iam verò alij huius argumenti difficultatẽ ſentientes me recõueniũt obijcientes ꝙ ſimile argumentũ teneor ego ſoluere reſpectu præmij accidentalis, qđ in omni opinione reſpõdet difficultati & executioni bonorũ operũ. Etenim ſimiliter argumẽtabũtur, ꝙ nulla erit ꝓportio inter præmiũ accidentale, quod reſpõdet actui charitatis exercito in vnico inſtãti & inter præmiũ accidẽtale quod reſpondet actui charitatis cõtinuato per certũ tẽpus. Sed huic obiectioni reſpõſum dedi vbi ſupra, dubio. 3. Eſt enim maxima differẽtia, quoniã actui charitatis nõ debetur præmiũ accidentale propterea ꝙ exerceatur in vnico inſtãti. Præmiũ enim eſſentiale per ſe primò reſpõdet ipſi actui dũ incipit. Nõ deeſt qui voluerit dicere, ꝙ actus charitatis neceſſariò debet exerceri per tẽpus neq; poſsit in vnico inſtãti incipere & in illo deſinere: ſed quod ſi incipit, neceſſe eſt cõtinuetur: quãuis nõ per tempus

Alia ſolutio.

determinatum.Imo dicunt,quòd non me
retur propterea ꝙ homo cõtinuet actum:
ſed quia continuat in tempore determina
to,in quo liberum erat ſibi ceſſare. Sed pu
det me in refutatione tantæ ignorantiæ cõ
morari etiam per tempus in determinatũ.
Dicimus ergo, quòd cum actui charitatis
per ſe reſpondeat eſſentiale pręmium non
eſt circunſtantia ſuperaddita, quòd exer-
ceatur in vnico inſtanti. Eſt enim impoſsi
bile,ꝙ non incipiat in inſtanti. Quod au-
tem continuetur,voluntarium eſt & libe-
rum homini:neque datur tempus indeter
minatum,in quo neceſſarium ſit continua
ri abſque libero hominis arbitrio.Nullum
enim eſt tempus indeterminatum ſignabi
le. Imo omne tempus & omnis pars tem-
poris eſt determinata:ſicut omnis pars cõ
tinui.Et ſicut non datur prima pars in con
tinuo, quoniã antequamlibet partem eſt
pars, ſi loquamur de partibus, quorum al-
tera reſpectu alterius ſe habet vt pars illius:
ita nõ datur aliqua pars temporis antequã
non ſit pars. Huic tamen non obſtat, quin
in toto illo tempore homo libere & meri-
toriè

toriè operatur. Cũ igitur omne tẽpus proportionem habeat cum alio tempore, ſemper erit proportio inter præmiũ accidentale, quod reſpondet merito ratione temporis, in quo exercetur actus charitatis & inter aliud præmium accidentale, quod reſpondet: quia talis actus exercetur in maiori tempore. Quod ſi rurſus obijcias, quod ſi actibus charitatis multiplicatis in diuerſis inſtantibus reſpondet aliquod præmiũ accidentale propter illã multiplicationẽ, ſequitur ꝙ nulla erit proportio inter illud præmium & inter aliud prẹmiũ, quod reſpondet ratione continuationis temporis: ſed ſemper erit infinitũ reſpectu illius. Ad hanc replicam potuiſſem quidem negare, quòd actibus elicitis à charitate, quãtumlibet multiplicentur inſtantaneè, reſpondeat præmiũ accidentale, ſed ſolum eſſentiale, de quo poſtea explicabo quomodo ſit maius in ratione præmij. Sed quoniam iam olim antecedens conceſſeram: concedo & nunc. Sed tamen nego ſequelam quantùm ad illud, quòd erit infinitum præmium quod reſpondet continuationi

tioni actui charitatis. Nec enim eſt eadem ratio ſicut de præmio eſſentiali. Etenim eſſentiale præmium, quod eſt viſio beatifica, habet proportionem eiuſdem ſpeciei, non ſolum quantum ad ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad intenſionem cum quolibet alio eſſentiali præmio. At vero præmia accidentalia plurima ex illis differunt ſpecie, ita vt proportionari non poſſint quantũ ad æqualitatem vel aliam proportionem, exemplum eſſe poterit in aureolis, quæ reſpondent virginibus & doctoribus & martyribus. Quantumlibet enim creſcat aureola virginis, nunquam pertinget ad dignitatem aureolæ martyris. Proportionabiliter ergo dico, ꝙ ſicut quantitas diſcreta non proportionatur cõtinuæ: ita etiam meritum pluriũ actuum in pluribus inſtantibus multiplicatorum non habet proportionem quantum ad præmium accidentale cum merito actus in tempore continuati. Quemadmodum etiam poteſt eſſe optimum exemplum in mathematicis, de angulo contingentiæ reſpectu anguli recti linei. Poteſt enim ille

eſſe maior & maior, & recti lineus minor & minor: & tamen iſte quantumlibet paruus, ſemper erit maior, quàm ille quantumlibet magnus. Quod quidem demonſtrant mathematici ex definitione circuli. Et patet ad ſenſum in figura apud Euclidem appoſita. Dico igitur quod intra idẽ tempus. v. g. intra ſpatium vnius horæ ſemper magis merebitur qui totam horam continuè diligit cum æquali intenſione, quàm ille qui intra vnam horam multiplicat actus dilectionis inſtantaneos. Cæterùm quantum ad intenſionem æqualiter merentur, vt explicabimus infra.

Sententia Scoti probabilis.

Iam verò Scoti ſententia quæ in loco citato falſa & improbabilis nobis viſa eſt in eo ſenſu in quo communiter à Thomiſtis intelligitur, nunc tandem cuiuſdam antiqui Thomiſtæ intelligentiam ſequutus probabilis videtur & valde conformis cum ſententia Diui Thomæ. Magiſter frater Mathias de Paz ordinis Prædicatorum Salmanticæ ſacrorum Bibliorum Primarius, in quadã repetitione quã anno Domini Milleſimo quingenteſimo

decimo

decimo ſeptimo prello mandauit, ſic intelligit ſententiam Scoti, & ſic refert in ſecunda quæſtione illius repetitionis. Scotus reſpondet in quarto Sententiarũ, quòd pœnitens non ſemper reſurgit ad maiorem gratiam licet reſurgat ſemper ad maiorem gloriam eſſentialem, eo quòd opera prius facta manent in acceptatione diuina non ſolum in ordine ad præmium accidentale, ſed etiam eſſentiale: quia talia viuificantur, & ſemper per contritionem additur aliud meritum. Hæc Scotus. Et quanuis nominales (inquit Magiſter ille) vt puta Gabriel & alij ipſum impugnent dicentes, quòd videtur ſibi ipſi Scotus contradicere, eo quod in diſtinct. 21. quæſt. 1. dixerat, quòd gratia erat diſpoſitio ad gloriam, ergo vbi maior gratia, maior gloria, & è contrario, inquit, Gabriel contra Scotum: ſed certè non intellexit ipſum Scotum. Nam Scotus intendit, quòd præmiũ eſſentiale & debetur gratiæ & operibus factis in gratia, Non tamen intendit quòd principaliter operibus. Vt videtur ſentire Gabriel ꝙ intelligat Scotus, Nam ipſe Scotus decla-

declarat ſe dicens, quòd non eſt idem habere plura merita in acceptatione diuina reſeruata in ordine ad præmium pro eis reddendum, & habere maiorem gratiam intenſiuè. Hæc Scotus, & iſta ſunt ſecundùm Scotum, quod aliquis habens minorem gratiam, habeat maiorem gloriam eſſentialem non ſimpliciter, ſed vt correſpondentem operibus, quàm alius qui habeat maiorem gratiam cùm paucis operibus, qui tamen habebit ſimpliciter maiorem gloriam correſpondentem gratiæ: & hoc intendit cum dicit, habere maiorem gratiam intenſiuè. Ille enim habet maiorem gratiam intenſiuè, atque proinde ſimpliciter maiorem gloriã. Ille autem alius habet maiorem gratiam extenſiuè: quia plura merita, licet minorem intenſiuè: ſic etiam habebit maiorem gloriam eſſentialem extenſiuè, & non ſimpliciter, & hoc modo intelligendo Scotum benedicit & conformiter ad doctorem Sanctum in 3. parte, quæſt. 89. arti. 5. ad tertium. Vbi dicit quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur præ-

mium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis in qua inuenitur, habebit tamen maius gaudium de operibus factis in priore charitate, quod pertinet ad præmium accidentale. Et optime Capreolus in quarto diſt. 14. quæſt. 2. ad primum, contra ſecundam Concluſionem, dicit, quòd hìc intendit D. Thom. quod conſequitur præmium eſſentiale etiam reſpectu operum, quæ prius fecit, ſed tamen in ordine ad charitatem in qua inuenitur. Et ſic extenſiuè maius præmium eſſentiale, ſed non intenſiuè, vt ait etiam Scotus, niſi reſurgat in maiori gratia: quod non oportet ſemper, vt dicit etiam Scotus conformiter ad doctorem Sanctum, ſed ſecundum maiorem vel minorem conatum. Illam etiam diſtinctionem de gratia intenſiua, & extenſiua ponit Marſilius in quarto Sententiarum, quæſt. 20. & ſic dicit plurium opiniones concordari. Hactenus ex prædicto Magiſtro doctiſsimo F. Mathia de Paz, de verbo ad verbũ recitaui. Et mihi quidem valde veroſimile eſt, quòd hìc fuerit ſenſus Scoti: & conſequenter loquendo ex-

plican-

plicanda eſt ſententia Scoti in præſenti noſtra diſputatione, cum inquit, quòd cuilibet actui quantumlibet remiſſo reſpondebit maior gloria quanuis non detur homini maior gratia vel charitas habitualis. Explicandus eſt enim de maiori gloria eſſentiali extenſiuè in ratione præmij plurium meritorum. De qua diſtinctione plura ſtatim dicturus ſum. Cæterùm ſi ſententia Scoti intelligatur, vt moderniores intelligunt, minus probabilis mihi videtur quã nominalium opinio: eo ꝙ ponit diſproportionem gratiæ in hac vita ſecundùm intenſionem, cum intenſione viſionis beatificæ. Nam dicere quòd in alia vita diſponetur homo per abundantiorem gratiam intenſiuè, mihi non videtur ſatis tutum, in præſenti enim vita fit homo gratus & acceptus ad gloriam. ¶ Opinio tandem Sancti Thomæ preſsius nunc examinanda eſt, & apertius defendenda & confirmanda: de qua ſatis multa dixi in prædictis commentarijs. Neque exiſtimaui me in aliquo ab eius doctrina diſceſsiſſe, quicquid aduerſarius calumnietur. *Opinio Sãcti Tho.* not —

Argumenta contra ſententiã S.Tho.

Multipliciter autem argumentãtur aduerſus ſententiam Diui Thomæ, quanuis me ſolum accuſent, quòd illam expreſsis verbis defendam. Ad tria capita poſſunt reduci plurima argumenta quæ aduerſus prædictam ſententiam obijciunt. Primo quidem loco argumenta deducunt ex ſacris literis. Secundo ex concilijs. Tertio rationibus argumentantur.

Argumenta primi ordinis talia ſunt. Nã in ſacris literis præmium promittitur bonis operibus iuſtorum, ergo quodlibet bonum opus habebit ſuum præmium, ſi bene operans moriatur in gratia. At vero ſi teneamus ſententiam D. Tho. vt eius verba ſonant, ille qui moritur in gratia poſt multa opera ex charitate remiſsiore facta, non recipiet præmium pro illis operibus: niſi ante mortem intenſius dilexerit, maiorem probant ex illo Pſalmi, quia tu reddes vnicuiq; ſecũdũ opera ſua, & Matt. 16. Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius. Et Matth. 10. Quicunq; potum dederit vni ex minimis

iſtis

iſtis calicem aquæ frigidę tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. Et ad Rom.2. Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Item 2. ad Corinth. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſsit, ſiue bonum ſiue malum. Item 1. ad Corinth. 3. Vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Et multa alia ſimilia teſtimonia afferunt, quale eſt illud Sapient. cap. 10. Reddet Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum, quæ omnia in idem redeũt. Ex quibus teſtimonijs volunt colligere quod hæc retributio, hoc præmium ſemper debeat eſſe reſpectu cuiuſlibet boni operis in maiori intenſione viſionis Dei, non intelligentes nec diſtinguentes rationem beatitudinis & præmij, nec rationem viſionis Dei à ratione præmij maioris vel minoris: neque rurſus diſtinguentes præmium eſſentiale & accidentale, ſed ſemper nomine mercedis & præmij ſolum intelligentes viſionem Dei, & nomine maioris præmij maiorem in-

tenſionem illius beatificæ viſionis.

Secundò argumentantur vehementer ex Decretis & Canonibus ſacri Concilij Tridentini,in Seſs.6. Vbi in Decreto de iuſtificat.cap.10. ſic habetur, Sic ergo iuſtificati & amici Dei ac domeſtici facti euntes de virtute in virtutem renouantur. Vt Apoſtolus inquit. De die in diem, hoc eſt mortificando membra carnis ſuæ & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta cooperante fide bonis operibus,creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt, Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. Et iterum capit. 10. Vbi agitur de merito bonorum operũ dicitur, quòd iuſtificatis proponenda ſunt Apoſtoli verba, Abundate in omni opere bono,ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Et iterum. Atque ideo bene operantibus vſque in finem & in Deo operantibus,proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam

quam merces ex ipſius Dei promiſsione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus à iuſto iudice reddendam: non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Ex his & multis alijs quæ ibidem continentur colligunt, noſtrã ſententiam, ſeu potius Diui Thomæ ſuſtineri non poſſe, eo quòd dicimus, non quolibet opere bóno iuſtificatũ hominem etiã ſi in gratia moriatur aſſecuturũ maiorem intenſionẽ eſſentialis præmij vel etiã habitus ipſius gratiæ. Rurſus ex Canonibus eiuſdẽ Seſsionis, id ipſum efficere conãtur noſtrã ſententiã parum eſſe tutam in fide. Qua in re eos poſſumus reprehendere, ꝙ tam remiſsè cenſuerint, dum ſacris Canonibus contrariam eſſe arbitrantur. Dicere namq; debuiſſent, erroneam eſſe ſententiã. Sed vt hoc appareat, ꝙ potius ipſi cęcutire voluerint, & neq; noſtrã ſententiã neq; ſacros canones intellexerint, de verbo ad verbum referam tres potiſsimum Canones

prædictæ Seſsionis,in quibus potiſsimè ni tantur,& ex quibus contra nos triumphare ſe putant,Cano.24.Sic habet.Si quis dixerit iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera:ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam,anathema ſit. Ex hoc ſic argumentãtur Concilium non determinat quod ſolum per opera magis intenſa augeatur iuſtitia iuſtificati, ſed indefinitè loquitur, per bona opera, quod æquiualet vniuerſali definitioni acſi diceret per quælibet bona opera. At vero Diuus Thomas, dicit, quod non quolibet opere meritorio augetur charitas vel gratia, ergo neq; augetur iuſtitia,de qua prædictus Canon loquitur. Rurſus canon. 26.ſic habet.Si quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta,expectare & ſperare æternam retributionem à Deo, per eius miſericordiã & Ieſu Chriſti meritum, ſi bene agendo & mandata eius cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint anathema ſit. Hinc

ſumi-

ſumitur argumentum, ergo iuſtus quolibet bono opere ſuperaddito præcedentibus, aſſequetur nouam retributionem & maiorem, ſi in gratia moriatur, ergo condemnatur ſententia quæ tenet, quòd pro actibus remiſsioribus charitatis non recipiet homo, etiam ſi in gratia moriatur maiorem eſſentialem beatitudinem niſi in hac vita intenſius dilexerit. Denique in cano.32. ſic definitur ſi quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.

Ex qua definitione volunt colligere, ꝙ actibus charitatis quantumlibet remiſsis non ſolum meretur homo glorię augmentum, vt dicit Concilium, ſed etiam conſequutionem augmenti gloriæ eſſentialis, ſi

tamen in gratia homo deceſſerit. ¶In huius argumenti ſolutione oſtenſurus ſum, quod duo falſa teſtimonia imponunt, alterum mihi, alterum concilio. Argumentatur etiam quidam ex Concilio Arauſicano cano. 18. Vbi dicitur debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia Dei præcedit vt fiant. Et ex concilio Tellenſi. Vbi dicitur, diuerſos eſſe gradus meritorum, & præmiorum in futura vita ſecundum diuerſos gradus virtutum. Ergo non opus eſt, vt differentia præmij eſſentialis conſurgat ex differētia intenſionis actuum charitatis. Ad hunc modum afferunt quædam ſanctorum Patrum teſtimonia aſſerentiū, omnibus virtutum actibus præmium eſſe conferendum: quaſi vero aliquis catholicus id negare poſsit.

Argumentantur tertiò rationibus quarum potiſsima deſumitur ex noſtris commentarijs: quæ huiuſmodi eſt, Deus pronior eſt ad miſerendum & præmiandum, quàm ad puniendum & vindicandum, ſed pro quolibet malo opere amplius punietur peccator in inferno, quàm ſi non feciſſet

feciſſet illud, ergo etiam pro quolibet bono opere recipiet iuſtus maius præmium etiam eſſentiale, quam ſi non feciſſet illud. Hæc & multa alia ſimilia obijciunt, quibus profecto ſi quid valerent, damnatur etiam ſententia Diui Thomæ perpetuò aſſerentis, quòd gloria eſſentialis commenſuratur intenſioni charitatis. Nunc autem quoniam plurima diximus in noſtris prædictis commentarijs, neceſſe eſt breuiter & reſolutorie procedere: & nouis obiectionibus nouam explicationem & ſolutionem adhibere.

Pro deciſione veritatis & intelligentia veræ doctrinæ & ſolutione argumentorum, tria quaſi fundamenta ante oculos habenda ſunt. Primum quidem ſatis à nobis oſtenſum eſt, & confirmatum in quæſtione. 2. huius noſtræ repetitionis, vbi demonſtrauimus eſſentialem vitæ Chriſtianæ perfectionem in charitate conſiſtere, maioremque perfectionem vitæ Chriſtianæ eam eſſe, quæ cum intenſiori charitate coniuncta eſt, eumque eſſe ſimpliciter magis perfectum, *Tria fundamenta.*

fectum,

fectum, & ſanctiorem: qui voluntatem habet intenſiore charitate affectam: quoniã illa eſt vinculum perfectionis, quæ vnit hominem cum ipſo Deo ſummo bono. Huius veritatis penetratio plurimum valet ad intelligentiam doctrinæ Diui Thomæ de augmento & merito charitatis. Huius etiam ignorantia, vel inconſideratio eſt in cauſa, quòd quidam à ſententia Diui Thomæ diſcedant. Secundum fundamentum neceſſe eſt hoc in loco præmittere quod latius digeſsi in noſtris Commentarijs 2. 2. q. 24. ar. 6. dubio. 5. Secũdo fundamento. quapropter illuc remitto lectorem, ſi quid minus quam oporteat in præſenti dixerimus. Eſt igitur fundamentum huiuſmodi. Præmium bonorum operum duplex eſt, alterum dicitur eſſentiale vel ſubſtantiale, alterum dicitur accidentale. Eſſentiale quidem præmium conſiſtit in ipſa viſione & fruitione beatifica, quæ eſt vita æterna: quæ diuina miſeratione, & magnifica voluntate proponitur & datur præmium bonorum operum, quæ in Deo & propter Deum facta ſunt. Præmiũ

verò

verò accidentale dicitur eſſe gaudiũ quod habet iuſtus de aliquo bono creato & de meritis per quæ peruenit ad vitam æternam, & de exequutione bonorum operum, quæ facere deliberauit. Vbi obſeruandum eſt, quòd nomine gaudij explicatur hoc præmium, ſicut ſolemus nomini fruitionis, explicare beatitudinem. Eſt enim fruitio gaudium de Deo clarè viſo. Quanuis ſecundum opinionem Thomiſtarum, beatitudo eſſentialiter conſiſtat in viſione Dei. Sic etiam proportionabiliter ſolet definiri præmium accidentale à D. Tho. per gaudium quod habebunt beati, non quidem de Deo clarè viſo vel clarius viſo, ſed de aliquo bono creato quod ad eorum merita pertinebat. Dixerim autem ad eorum merita pertinebat: quoniam multa gaudia ſunt in beatis accidentalia, quæ non conſequuntur ſpecialiter ex illorum meritis, ſed ex conſortio ſtatus beatorum: vbi quilibet gaudet de aliorum meritis & gloria. Imo etiam de punitione damnatorum. Iuxta illud Pſalmi, Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in-

cubi-

cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Vbi videtur inſinuari duplex gaudium, alterum eſſentiale quæ eſt lætitia cubilis ſui, vbi requieſcunt in æternę vitæ viſione Dei. Alterum accidentale, quod exiſtit in exultatione gutturis, per quam ſignificatur lætitia de communi conſortio beatorum laudantium & benedicentium Dominũ. Conſurgit etiam ex ordine diuinæ iuſtitiæ, quatenus malefactores punit in æternum. Et hoc eſt quod dicit, Ad faciendam vindictam in nationibus, &c. Cæterùm quando huiuſmodi ſpeciale gaudium de bono creato rationem habet accidentalis præmij; reſpicit bonum creatum, quod eſt meritum ipſius beati, aut aliquid pertinens ad ꝓpriũ meritũ. Et hoc modo gaudebit beatus non ſolũ quia voluit dare eleemoſynã, ſed quia re vera ſubleuauit miſeriã pauperis. Sic & martyr gaudebit nõ ſolũ, quia voluit pati martyriũ, ſed quia re vera paſſus eſt. Hoc igitur accidentale præmium eſt,

quod

quod ſæpiſsimè docet D. Tho. reſpondere actibus virtutũ ex proprio genere, cuius teſtimonia plurima attuli vbi ſupra. Sed ſpecialiter videatur in 4. Sentent. diſt. 49. quæſt. 5. & 1. ad Corinth. 3. lect. 2. Nõ itaq; negamus eſſentiale præmiũ vitæ æternæ, correſpondere bonis operibus aliarum virtutum quæ ex charitate procedũt: ſed aſſerimus huius correſpõdentiæ rationem & menſuram eſſe actum charitatis, à quo illa bona opera proficiſcuntur & imperantur: habent nihilominus ex proprijs obiectis ſicut ſpecialem bonitatem, ita ſpeciale præmiũ quòd dicitur accidentale comparatione ad præmiũ, quod eſt viſio beatifica. Quapropter hæc accidentalia præmia multiplicia eſſe neceſſe eſt: & differentia inter ſe, aliquando quidem ſpecificè, aliquando numericè & indiuidualiter: ſicut & ipſæ bonitates operum, de quibus ſunt eiuſmodi gaudia, multipliciter variantur. Inter eam autem innumeram multitudinem gaudiorum: quæ fundãtur in vnico gaudio fruitionis Dei correſpõdente per ſe primo merito dilectionis, *Multiplex præmiũ accidentale.*

tria potiſsimum commemorant Theologi in 4. Sentent. diſtinct. 49. quæ dicuntur aureolæ diminutiuè, comparatione ad coronam auream, quæ eſt ipſa eſſentialis beatitudo, prout habet rationem præmij meritorum. Eſt itaque triplex aureola excellenti victoriæ debita. Prima eſt martyrum quorum ſpecialis gloria deſcribitur Apocalyp. 7. Vbi vnus de ſenioribus dixit Ioanni, Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? Et vnde venerunt? Et dixi illi, Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna & lauerunt ſtollas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Vbi profectò ſpecialis gloria martyrum deſcribitur per metaphoram ſiue ſimilitudinem, quod veſtiti erũt ſtollis albis palmas in manibus habentes inſignũ excellentiſsimæ victorię & aſsimilationis ad Chriſtum, pro cuius amore mortem paſsi ſunt. Secunda aureola deſcribitur Danielis cap. 12. Quæ competit doctoribus & prædicatoribus ſacræ doctrinæ. Vbi dicitur, Qui autem docti fuerint, fulgebũt ſicut ſplendor firmamẽti, &

Tres aureolæ.

Martyrũ.

Apoc. 7.

Doctorũ.

Dan. 12.

qui ad iuſtitiam erudiũt multos, quaſi ſtel
læ in perpetuas æternitates. In quo teſti-
monio duo genera beatorum inſinuan-
tur. Alterum eſt cõmune omnibus Chri-
ſti diſcipulis, de quibus dicitur, quòd erũt
omnes docibiles Dei. Ioannis cap. 6. Et hi
omnes. Fulgebunt ſicut ſplendor firma-
menti. At vero eorum qui alios erudiunt
ſpeciale præmium comparatur ſtellis quæ
ſpecialiter fulgent in cælo. Hoc ipſum præ
mium inſinuatur Matth. 5. vbi ait, Domi-
nus, qui fecerit & docuerit hic magnus vo
cabitur in regno cælorum. Nihilominus
certum eſt, quòd multi qui non docue-
runt erunt maiores ſimpliciter: quam qui
docuerunt, ſicut patet de Maria Magdale-
na, & de multis ſolitariam vitam & con-
templatiuam agentibus, qui erunt beatio-
res quam multi prædicatores iuſti, qui vi-
tam æternam conſequentur. Quid igitur
ſpeciale habebunt omnes doctores & præ
dicatores, propter quod magni appella-
buntur in regno cælorum? Et profecto
omnibus illis aliquod ſpeciale præmium
continget, quod alijs non doctoribus vel
G præ-

prędicatoribus non dabitur. Hęc eſt aureola ſpecialis quæ ſignificatur ſtellarum ſimilitudine. De qua gloria ſpecialiter ipſi gaudebunt, & ab alijs honorabuntur. Quemadmodum in Eccleſiaſtica hierarchia Doctores & Magiſtri viſibilibus inſignijs decorantur & honorantur.

Virginũ aureola. Reliquum eſt aureolam virginum Scripturæ ſacræ teſtimonio confirmare ſpecialem eſſe & diſtinctam mercedem ſolis virginibus deſtinatam. Nam Apocal. 14. ample & eleganter deſcribitur hęc aureola varijs ſimilitudinibus. Primò quidem virgines numero quodam definito referuntur eſſe centum quadraginta quatuor millia. Secundò, vocem eorum tanquam vocem aquarum multarum, tanquam vocem tonitrui magni, & tanquam vocem cytharædorum cytharizantium in cytharis ſuis. Admiratur vel nos admirari facit Spiritus ſanctus. Talibus enim comparationibus intelligimus virginitatẽ maximum donum Dei eſſe deſurſumque venire veluti aquæ multæ, quę non humana induſtria terram irrigant. Rurſus

cum

cum audimus vocem tonitrui magni, eſſe vocem virginum intelligamus terribilem eſſe doctrinam de virginitate ſeruanda, non enim omnes capiunt verbum hoc: qui poteſt capere capiat. Ipſa etiam virginitas terribilis eſt dæmonibus. Pertimeſcit enim diabolus(vt dicebat Antonius)caſtè viuentium vigilias & orationes, valdeque confunditur, quòd mens hominis in corpore corruptibili vitã agat angelicam. Denique ſuauitatem illius maximę virtutis aſsimilatur Diuus Ioannes voci cytharędorum cytharizantium in cytharis ſuis: quoniam virgines membra ſua ſuper terram mortificauerunt, vt per inſignem temperantiam quaſi per cytharam ſuis fidibus bene contentam, agno ſponſo ſuauiſsimos ſonos redderent, ſimulq; cantarent canticum illi placentem. Ne verò quis exiſtimet tale gaudium cõmune eſſe omnibus beatis adiecit Diuus Ioannes. Et nemo poterat dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines

enim ſunt. Hæc de induſtria minus ſcholaſticè dixerim, vt omnes intelligant, quanti æſtimanda ſint hæc accidentalia præmia, quæ Spiritus ſanctus ita extollit & celebrat. Non enim deſunt inconſiderati ſcholaſtici, qui huiuſmodi accidentalem mercedem & gloriam parui faciant. Volunt enim vbicunque in ſacris literis merces aut gloria, aut præmium commemoratur, neceſſarium eſſe: vt intelligatur viſio beatifica, ita vt maior gloria ſit perfectior viſio: neque ſufficiat, vt aliquis dicatur habere maiorem gloriam aut mercedem, quod, cæteris paribus, excedat alterum beatum in gloria accidentali, etiam in aureola martyrij. Quod quidem, rudiſsimorum hominum eſt, & viã ſpiritus omnino ignorantium. Sed de his ſatis: nunc autem ad tertium fundamentum ex quo omnes obiectiones facilè diſſoluemus accedamus.

Tertium fundamentum.

Tertium fundamentum, & maximè obſeruandum eſt huiuſmodi. Non eſt de ratione beatitudinis, quæ in Dei viſione & fruitione conſiſtit, & quę dicitur & eſt vi-

ta

ta æterna, nec eſt eius proprietas, aut propria paſsio, quòd ſit præmium beati: quin potius eſſe præmium meritorum, illi accidit ex diuina gratia & ordinatione. Hoc fundamentum poſui in concluſione quarta earum quas à principio relectionis præmiſsi. Et manifeſtum eſt in exemplis ibidem poſitis. Etenim anima Chriſti Domini beatiſsima eſt: & tamen eius beatitudo non eſt præmium aut merces meritorum eiuſdem. Paruuli etiam baptizati, ſi ſtatim moriantur ante vſum rationis, beatitudinem conſequentur, non tamen præmium meritorum ſuorum. Sed quid moror? ipſe Deus beatiſsimus eſt, & tam alienus à præmio quàm à ſubiectione ad alterum eſt. Et quoniam in intelligentia huius fundamenti conſiſtit huius difficultatis ſolutio, viſum eſt operæpretium, illud diligenter explicare. Notandum igitur eſt primò ex doctrina Diui Thomæ in. 1.2. quæſtione 21. articulo. 2. 3. & 4. quòd omne opus bonum eo ipſo quòd bonum eſt, habet rationem meriti apud Deum: & omne opus malum habet rationem demeriti

apud Deum. Cuius ratio egregia aſsignatur à Diuo Thoma. Actus enim alicuius hominis habet rationem meriti vel demeriti ſecundùm quod ordinatur ad alterum vel ratione eius vel ratione communitatis ſeu boni communis. Vtroque autem modo actus noſtri boni vel mali habent rationem meriti vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipſius Dei, inquantum eſt vltimus hominis finis ad quem debent omnes actus humani referri. Vnde qui facit actum malum non referibilem in Deum, non ſeruat honorem qui vltimo fini debetur. Rurſus ex parte totius communitatis vniuerſi, probatur. Quoniam ille qui regit communitatem, præcipuè habet curam boni communis. Vnde ad eum pertinet retribuere pro hijs quæ bene vel malè fiunt in communitate. Cùm igitur Deus ſit gubernator & Rector totius vniuerſi, & ſpecialiter rationalium creaturarum, neceſſe eſt, quòd actus humani habeant rationem meriti vel demeriti per comparationem ad ipſum.

In arti. 4. ſupra.

Nota

Nota ſecundo, quòd per ſe & formaliter loquendo præmium correſpondens merito virtutis, eſt laus & honor ab eo qui gubernat communitatem, vel in cuius commodum & honorem exercetur actus virtutis. Similiter actui de meritorio & malo correſpondet ratio culpabilis, & vituperabilis: vt optimè demonſtrat Diuus Thomas vbi ſupra, articul. ſecundo. iuxta doctrinam Ariſtotelis aſſerentis laudabilia ſunt virtutum opera, vituperabilia autem vel culpabilia opera contraria.

Notandum eſt tertio, quòd ex diuina ordinatione factum eſt, quæ omnia ſuauiter diſponit, vt ſicut homines miſericorditer per gratiam Dei eleuantur, vt ſint filij adoptiui & hæredes vitæ æternæ, quæ in Dei viſione conſiſtit, ita etiã voluit Deus, vt hanc ipſam vitam qua digni ſunt per gratiã, mereantur bonis operibus quæ ab eis per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum fiunt. Id quod in puncto iuſtificatio nis impij maximè pateſcit. Tunc enim vita æterna dignus eſt homo per gratiam iuſti

ficationis,& in eodem gradu meretur fide per charitatem operante,& ſic vita æterna habet propriè rationem præmij,quam nõ haberet ſolum reſpectu gratiæ iuſtificantis. Illa igitur viſio beatifica quatenus in ea includitur,quòd ipſe Deus facie ad faciem laudet beatum, propter opera bona quæ fecit meritoria ipſius viſionis, habet propriè rationem præmij. Huic conſonat, ꝙ dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. Qui illuminabit abſcondita tenebrarum,& manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Et certè loquitur nõ ſolùm de laude extrinſeca qua illo die iuſtus iudex publicè laudabit eos qui bona fecerunt: ſed etiam de æterna laude qua Deus clarè viſus honorabit eos, qui bona fecerunt. Huic etiam conſonat quod dicit Apoſtolus ad Romanos 2. Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Ijs quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt,vitam æternam. Vbi obſerua quomodo gloria & honor quæritur per patientiam boni operis, & Deus dan-

do

do vitam æternam in præmium,dat illam vt gloriam & honorem. Conſonat etiam quod dicitur Matth.cap. 10. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Ecce confeſsio Chriſti filij Dei coram hominibus meretur, vt præmium confeſsionem quam ipſe Chriſtus Deus & homo facturus eſt coram patre ſuo in vita æterna. Similiter Matthæi 25. laudat Chriſtus ſeruum bonum & fidelem, dicens, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fideles, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Ecce & gaudium Domini, quo ſcilicet Deus de ſe ipſo gaudet, communicatur ſeruo fideli intranti in vitam æternam, videntique Deum ſicuti eſt. Et inſuper laus illa Chriſti in æternum eſt duratura, ſemper enim dicetur ſeruo fideli coram patre cæleſti. Euge ſerue bone & fidelis, &c.

Notandum eſt quarto, id quod ex prædictis conſequitur, quòd beatitudo dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo, vt eſt actio ipſius beati procedens ab ipſius *Valde notandum.*

 intel-

intellectu lumine beatifico illuſtrato, & eleuato, vt poſsit exercere actionem illam vitalem ſuperioris ordinis videndi Deum ſicuti eſt. Altero modo quatenus ipſamet beatitudo & actio præmium eſt honorificum datumque propter merita ipſius beati. Hæ duæ rationes valde diſtinctæ ſunt. Etenim prima conſideratio eſt ipſius rei in ſe ipſa conſideratæ abſolutè prout eſt quædam fœlicitas & vita beata. Altera verò conſideratio eſt ſecundùm reſpectum ad merita. Sunt enim correlatiua meritum & præmium. Ita vt maiori merito, maius præmium, & nouo merito, nouum præmium reſpondeat neceſſarium ſit. Hinc prouenit, quod vſque adeo illæ duæ rationes ſint diſtinctæ, quòd vtraque ſine altera poſsit inueniri, & vtraque ſine altera poſsit creſcere. Et denique quòd ſimul poſsint creſcere. Hæc tria oſtendo ſigillatim. Etenim viſio beatifica quam habet anima Chriſti, & quam habent paruuli baptizati, beatitudo eſt, & non eſt ipſorum beatorum præmium. Similiter

aureola martyrum præmium eſt verè & propriè, & non eſt viſio beatifica, vt quidam falſo opinati ſunt dicentes aureolas nõ eſſe ab eſſentiali beatitudine diſtinctas, ſed eſſe ipſam eandem viſionem Dei, quæ dicebatur aureola, qua ratione Doctoribus, Martyribus, & Virginibus præmium eſt. Quorum errorem oſtendit D. Thom. in quarto Sententiarum diſtinctione. 49. quæſtione quinta per totam, & Magiſter Soto in eadem diſtinctione. Et profecto ratio deſumpta ex illo Apocalypſi decimoquarto, nemo poterat dicere canticum niſi illa centum quadraginta quatuor millia, conuincit, quòd aureola virginum non eſt ipſa viſio beatifica. Alioquin omnes beati dicerent idem Canticum, haberent idem gaudium ſecundùm ſpeciem de Deo clarè viſo, imo quidam non virgines melius canerent Canticum illud quia multi non virgines erunt beatiores virginibus. Habeo igitur intentum quantùm ad illud primum, quòd datur viſio quæ non ſit præmium, & ꝙ datur verè & propriè præmiũ

æternum,

æternum, quod non eſt viſio beatifica? Alterum verò, quòd vtrumque ſine altero poſsit creſcere vel eſſe maius, probatur. Sint Petrus & Paulus, & Petrus quidem habeat quinque merita, & Paulus habeat decem, ſingula æqualia cum ſingulis quinque. Petrus autem quotidie miſſam dignè celebret. Paulus autem tantùm communicet quando tenetur. Tunc ſi iſti moriantur certum eſt, quòd Petrus erit multo beatior beatitudine eſſentiali quam Paulus & tamen non habebit maius præmium quam Paulus: imò Paulus habebit maius præmium eſſentiale, quoniam habuit plura merita, ac proinde maius præmium. Ecce igitur quomodo in Paulo eſt maius præmium etiam eſſentiale, & minor beatitudo quam in Petro: & rurſus in Petro eſt maior beatitudo eſſentialis, & minus præmium, quia minora merita ſiue pauciora. Profectò hoc nemo Theologus negare poteſt. Tertium autem, quòd ſimul creſcere poſsint manifeſtiſsimum eſt: vt ſi v. g. Duo homines pariter mereantur meritorum numero, &

perfe-

perfectione & intenſione actionum. Hi nanque ſimul conſequentur & maius præmium, & viſionem beatificam magis intenſam, eo quòd ſimul in hac vita profecerunt in ratione merendi & in intenſione & diſpoſitione charitatis, quæ eſt diſpoſitio ad perfectiorem viſionem Dei: iuxta illud, Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Munditiam autem cordis diuinum amorem formaliter cauſare nemo niſi nomine Theologi indignus negare poterit. Prædicta doctrina diſtinctionis inter rationem beatitudinis, & rationem præmij, præterquàm quod in ſe ipſa manifeſta videtur; colligitur ex Diuo Thoma in tertio Sententiarum diſtinct. 18. quæſt. 1. artic. 2. ad quartum. Vbi ait, quòd ille qui meretur, non oportet quòd proficiat quantùm ad rationem merendi, (vocat autem rationem merendi ipſam gratiam, quæ radix eſt meritorum propter quam noſtra merita dicuntur grata Deo, iuxta illud, Reſpexit ad Abel, & ad munera eius) ſed oportet quòd omnis qui meretur proficiat quantum ad mercedem

dem quam meretur, vt ſcilicet eam ſibi debitam faciat, vel ſimpliciter: vel quantùm ad aliquem modum, quo ſibi prius debita non erat. Hæc ille. Poſsibile eſt igitur, vt non creſcenti gratia intenſiuè aliquis propter nouum meritum aſſequatur beatitudinem, quæ ſit maius præmium quantùm ad rationem præmij propter nouum meritum, eo quòd eadem viſio ſecundùm intenſionem habet maiorem rationem laudis & gloriæ, cùm datur propter plura merita, quàm cum datur propter pauciora, cæteris paribus. Falluntur enim vehementer exiſtimantes parum eſſe, vt id quod mihi antea debebatur vt præmium, rurſus nouo titulo noui meriti conferatur vt præmium. Hi enim non penetrant valorem & dignitatem præmij plurimum conſurgere ex ratione & dignitate merendi. Id quod ex humanis facilè poteſt intelligi. Cum enim Canonico ſacerdoti datur argenteus pro ſtipendio aſsiſtendi in Veſperis, pluris æſtimat argenteum. Et ab omnibus æſtimatur pluris in ratione

præmij honorifici quam quatuor argentei ab artifice comparati. Similiter eſt melius exemplum. Stipendia cathedrarum Salmanticenſium, quædam minima ſunt, ſi materialiter conſiderentur. At vero in ratione præmij quod importat honorem virtutis, magni æſtimantur, eſt enim glorioſum & honorificum ſtipendium cathedræ Doctoris. Hæc autem excellentia præmij maximè oſtenditur in Chriſto Domino. Fuit etenim eius meritum infinitum, & infiniti valoris apud Deum. Quapropter requirebatur, vt præmium ſibi conferendum eſſet infinitum, vt fieret æqualitas inter præmium & meritum.

At vero ſi conſideremus, quid eſt quod de facto collatum & conferendum eſt Chriſto propter tale meritum, non inueniemus infinitatem in re ipſa collata, ſi abſolutè & materialiter conſideretur, etenim gloria ſui corporis, & confeſsio nominis eius quam facit mundus, & ſalus, & gloria prædeſtinatorum & omnium peccatorum iuſtificatio

omnia certè, quanuis magna, ſinita tamen ſunt. Nihilominus ſi hæc eadem conſiderentur in ratione præmij quantùm ad modum & rationem conferendi illud, infinitatem habent proportionatã merito. Et ratio eſt, quoniam ad magnitudinem præmij ſublimandam, plurimum valet titulus propter quem confertur à ſupremo gubernatore & domino vniuerſorum. Quamobrem vnius peccatoris iuſtificatio infinitum præmium eſt in ratione præmij, quoniam illa iuſtificatio peccatoris datur Chriſto de rigore iuſtitiæ ab ipſo Deo, qui rerum omnium proportionem facit. Quod ſi quis nouitius Theologus obijciat, quod illa conditio de rigore iuſtitiæ, tenet ſe tantum ex parte meriti, ergo propter illam non dicetur præmium eſſe maius. Et confirmatur. Nam ſi Petrus debeat Paulo centum quæ mutuo acceperat, quando reddit centum, non dicitur plus reddere quam accepit, vel quam ſi liberaliter daret, ergo quod præmium reddatur & ſit debitum de rigore iuſtitiæ non auget vel magnificat valorem præmij. Reſpon-

ſpondetur, quòd illa conditio de rigore iuſtitiæ, radicaliter quidem eſt in merito, ſicut meritum eſt radix præmij, nihilominus redundat in præmium: ita vt etiam ſit illius conditio, quòd detur de rigore iuſtitiæ, ſicut de eodem rigore meritum eſt operantis. Pertinet itaque ad infinitam magnitudinem meriti Chriſti Domini, quòd Deus fidelis & verax & vniuerſorum Dominus talem æqualitatem faciat de condigno vel de rigore iuſtitiæ inter meritum & præmium. Ad confirmationem reſpondetur, ꝙ æqualitas quæ conſideratur in humanis contractibus ſicut in emptione & venditione, & in mutuo, æſtimatur inter rem & rem abſolutè conſideratam: at vero vbi ſe exercet iuſtitia in præmijs conferendis propter ſtudioſas virtutum actiones, non ſit conſideratio tantùm ipſarum rerum materialium, ſed habetur ratio dignitatis perſonæ operantis. Vt meritum excellentius conſideretur, & æſtimetur: & ſimiliter præmium pluris æſtimatur quando à digniori perſona confertur & propter digniorem titulum. Exem-

plum eſt, quando ſummus Pontifex alicui Duci vel Principi ſeculari mittit gladium & galerum propter res bellicas benè geſtas pro defenſione Eccleſiæ, id ꝙ Pius V. fecit vt Ferdinãdum Aluares à Toleto Ducem Albanũ de Eccleſia bene meritũ honoraret. Hoc quidẽ datum magni æſtimatur ab omnibus, & qui accipit illud collocat & ſeruat ad honorificã totius familię ſuæ memoriã. Sic igitur honorari à ſummo bono & diuina maieſtate propter merita bonorũ operum, quę in honorem Dei facta ſunt immenſam habet dignitatẽ quandã, cui ſi acceſſerit, ꝙ qui meruit ex proprijs Deum honorificauit, & infinitã dignitatem habuit, ita vt eius officiũ refutari nõ potuiſſet: hoc iã infinitatem in ipſo præmio de rigore iuſtitiæ poſtulat. Tale fuit meritũ Chriſti, tale & præmium. Habeo igitur intẽtũ, ꝙ vna eademq; viſio Dei poteſt habere maiorem rationem pręmij ſi datur propter plura merita quã ſi detur propter vnum illorum. Cõfirmantur prædicta ex definitione gloriæ quã tradit D. Tho. in 1.2.q.2.art.3.& 2.2.q.103.art.1.ad

3. &

3.& eſt doctrina Ambroſij & Auguſtini, quos ibidem citat D. Tho. Gloria itaq; eſt clara cum laude notitia. Cum igitur ipſe Deus laudat eos qui bene operati ſunt propter ipſum, magna gloria eſt, quæ confertur in præmiũ. Quod ſi quis roget, an illa magnitudo præmij, quæ conſurgit ex eo quòd viſio beatifica datur eadem, & ſecundum eãdem intenſionem propter plura merita, ſit inquam illa ratio præmij accidentalis an eſſentialis? Reſpondetur, quòd iam oſtenſum eſt, quòd omnis ratio præmij; accidentalis eſt viſioni beatificæ: & idcirco diſtinctio illa præmij accidentalis & eſſentialis non poteſt fieri quantùm ad hoc, quòd præmium aliquod ſit intrinſecum eſſentiæ beatitudinis. Sed diſtinctio eſt quantùm ad hoc, quòd ipſamet viſio quæ eſt eſſentialis beatitudo, datur in præmiũ cum laude ab ipſo Deo propter merita. Et hoc dicitur à Theologis maximè à S. Tho. præmiũ eſſentiale: quia diuina ordinatione poſitum eſt in ipſa viſione Dei. Quod quidẽ pręmiũ dupliciter poteſt, vt diximus, creſcere. Vno modo in ratione

præmij, alio modo in ratione viſionis. Cæterùm præmium accidentale dicitur, vt iam definiuimus gaudium quoddam de bono creato, quod conſurgit ex noſtra operatione. Quale v.g. eſt præmium ſpeciale martyrum. Denique ſicut quidam diſtinguunt, ex aduerſarijs doctrinæ Diui Thomæ actiones noſtras bonas: eo quòd conſiderant v.g. in actu charitatis duplicem rationem, ſcilicet rationem meriti & rationem intenſionis ipſius actus: & dicunt, quòd quanuis charitas non augeatur per actus remiſsiores, tanquam per diſpoſitiones, augetur tamen de facto per quem libet actum, quia quilibet eſt meritorius. Diſtinctionem quidem laudo, ſed concluſionem vitupero, eo præſertim quòd non deeſt, qui ita voluerit Diuum Thomam eſſe intelligendum cùm dicit, non quolibet actu charitatis augetur charitas, non quia neget augeri habitum charitatis, ſed quia non augetur cum diſpoſitione proportionabili ſecundùm intenſionem, quæ accedit habitu: augetur nihilominus intenſiuè propter rationem meritoriã actus.

Ridi-

Ridiculo digna intelligentia, & quòd impudentius eſt, eam volunt perſuadere nouitijs Theologis. Neminem autem inueni perſuaſum, hanc eſſe Diui Thomæ intelligentiam, cum expreſsè D. Tho. dicat in illo arti.6. quæſt. 24. quòd nunquam charitas actualiter augetur, niſi quando homo prorumpit in actum feruentiorem. Oportet igitur verificare ſecundum doctrinam Diui Thomæ, quòd homo quolibet actu charitatis meretur augmentum, licet nunquam augeatur habitus niſi per actum intenſiorem. Quòd ſi reſpectu gratiæ habitualis, aliquis diceret, quòd quolibet actu charitatis, etiam remiſſo non ſolum meretur homo augmentum gratiæ, ſed etiam augetur ſtatim gratia, non quidem ſecundùm intenſionem illius qualitatis habitualis, ſed ineſſe gratiæ prout eſt acceptatio ad gloriæ augmentum: quia nouum meritum de nouo gratificat coram Deo propter quem homo iuſtus operatur. Qui itaque ad hunc modum philoſopharetur, poterat quidem differre in verbis à nobis, & à doctrina D. Thom. non autem in re

ipſa & in veritate. Non enim poteſt negari, quod qui de nouo meretur, faciat opus de nouo gratificatum ab ipſa gratia operantis. Imo propterea eſt meritum & nouum meritum & meretur nouum præmium & maius præmium quam antea, maius inquam, in ratione præmij, ſiue ſit eſſentiale ſiue accidentale præmiū. Quod ſi hoc modo conſideretur gratia nunquã Diuus Thomas negaret, quòd ſtatim augetur quolibet actu meritorio, ſi quidem ſtatim extenditur ad nouum præmium propter nouum meritum gratificatum. At verò conſtat, quòd Diuus Thomas cum inquit in Prima Secundæ, quæſtione 114. articul. octauo, in ſolutione ad tertium, quòd gratia non ſtatim augetur, ſed cum aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum: loquitur de augmento gratiæ intrinſeco, quod fit permutationem ipſius habitus in ſubiecto prout procedit de minus intenſo ad magis intenſum, & hoc propriè dicitur augmentum. Alius verò modus proprius dicitur extenſio gratiæ actualiter ad nouum

tium meritum, & ad nouum præmium. Ex prædicta igitur doctrina luce clarius diſſoluemus cauillationes æmulantium, & cenſuras graues pro ſuo libito præcipitantium.

Ad argumenta quæ contra Diui Thomæ ſententiam afferuntur facilè ex prædictis patebit reſponſio. Ad primum argumentum, quod deſumebatur ex teſtimonijs Sacrarum literarum reſpondetur, quòd nemo niſi hæreticus negare poteſt, eum qui in gratia Dei moritur recepturum eſſe præmium bonorum operum quæ fecit in gratia conſtitutus, & propter Deum operatus eſt. Explicare autem oportet differentiam præmiorum ſecundùm differentiam meritorum. Omnia enim huiuſmodi merita in hoc conueniunt, quòd quolibet illorum meretur iuſtus vitam æternam. Eſt autem certum quòd non eſt alia vita æterna, quam meretur homo per plura merita, quam per vnum. Idem enim Deus eſt etiam nobis promiſſus in præmium. Iuxta illud Geneſ. Ego protector tuus, & merces

tua magnanimis. Verum tamen, vt inquit Chriſtus Dominus Ioannis 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt, Multa etiam eſt differentia præmiorũ vitæ æternæ iuxta differentiam meritorum. Atque itaque verificabitur, quòd reddet vnicuiq; ſecundum opera eius: quam quidem differentiam nemo melius quam Diuus Thomas, explicat in Comment. ſuper primã Epiſtolam ad Corinth. cap. 3. lect. 2. Enarrans illud, Vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem propriam mercedem accipiet. Vbi ſic ait Diuus Thomas, non tamen propter hoc deſignatur æqualitas ſecundùm quantitatem laboris ad mercedem, quoniam vt dicitur. 2. Corint. 4. Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, ſed æqualitatem deſignat proportionis, vt ſcilicet, vbi eſt potior labor, ibi ſit potior merces. Poteſt autem intelligi labor eſſe potior tripliciter. Primo quidem ſecundùm formam charitatis, cui reſpondet merces eſſentialis præmij, ſcilicet, fruitionis

tionis & viſionis diuinæ. Vnde dicitur Ioannis 14. Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum. Vnde qui ex maiori charitate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de præmio eſſentiali accipiet. Secundo ex ſpecie operis. Sicut enim in rebus humanis ille magis præmiabitur, qui in digniori opere laborat, ſicut architector quam artifex manualis, licet minus laboret corporaliter, ita etiam in rebus diuinis, ille qui in nobiliori opere occupatur maius præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogatiuam præmij accidentalis, licet fortè minus corporaliter laborat. Vnde aureola datur doctoribus, virginibus & martyribus. Tertiò ex quantitate laboris, quod quidem contingit dupliciter. Nam quandoque maior labor maiorem mercedem meretur, præcipuè quantùm ad remiſsionem pœnæ, puta, quòd diutius ieiunat, vel longius peregrinatur, & etiã quantùm ad gaudiũ quod percipiet de maiori labore. Vnde Sapientiæ 10. dicitur, Reddidit Deus, ſcilicet iuſtis, mercedem labo-

rum ſuorum. Quandoque verò eſt maior labor, ex defectu volūtatis(in his enim quæ prompta voluntate facimus minorem laborem ſentimus) & talis magnitudo laboris non augebit, ſed minuet mercedem. Hactenus D. Thom. Vbi aduerte mihi, quàm ſolicite & eleganter diſtinguit rationem eſſentialis præmij, ſcilicet, fruitionis & viſionis diuinæ, cuius quantitatem intenſiuam commenſurat cum magnitudine charitatis: & rurſus conſiderat præmium ſpeciale & accidentale ſecundùm ſpeciem & dignitatem operis. Itaq; non quotieſcunque in ſacris literis mentio fit de mercede aut præmio aut gloria, neceſſe eſt intelligere viſionem beatificam perfectiorem vel intenſiorem propter plura merita, vel propter maiorem laborem. Sed præſuppoſita vita æterna, quam per omne opus ex charitate elicitū vel imperatum meretur iuſtus, interdum etiam & ſæpe aſſequetur maiorem mercedem accidentalem, aut certe maius præmium eſſentiale in ratione præmij, quanuis viſio non ſit futura intenſior niſi in hac

vita

vita intenſius dilexerit vel intenſiorem habitum charitatis habuerit,&quidem quod attinet ad explicationem ſacrorum teſtimoniorum ſatis dictum eſt. Sumus enim certi per fidem copioſam futurã eſſe mercedem bonorum laborum & quòd menſuram bonam & confertam, & coagitatam dabunt in ſinum noſtrum, vt promiſit Chriſtus.

Iam verò ad argumenta quæ aduerſarij obijciunt ſumpta ratione ex canonibus & decretis Conciliorum reſpondendum eſt,& oſtendendum,quòd ſic argumentãtes,neſcio qua cauſa,paralogizantur. Verũ antea volo reſpondere ad obiectionem ſubtilem cuiuſdam Theologi eruditi, qui de noſtra ſententia perſuaſus tale argumẽtum optabat diſſolui. Potiſsima ratio noſtra diſſoluendi argumenta cõtrariorum, fundatur in illa diſtinctione quam feci de præmio eſſentiali, quod dupliciter dixi conſiderandum, vno modo in ratione actionis videndi Deũ: altero modo in ratione præmij. Dixi etiã, Aliquando poſſe creſcere in ratione prẽmij, non creſcendo

in

in ratione intenſæ viſionis. Contra. Quilibet actus charitatis Dei ex natura actus habet & proportionem naturalem cum præmio eſſentiali, & non ſolum ab extrinſeca ordinatione Dei, ergo ſi eſt nouum meritum in nouo actu charitatis, neceſſe eſt quòd ipſa viſio ſit futura intẽſior, alias non eſſet maius pręmium ipſa viſio quam ante fuiſſet ante actum illum charitatis remiſſum. Gauiſus ſum hanc replicam audire, vt plenius prædicta doctrina teneatur. Et quidem qui negant in noſtris actibus inueniri rationem meriti connaturalem cum tali præmio viſionis Dei, facilem ſoluerent argumentum. Aiunt enim merè ab extrinſeca ordinatione Dei noſtra opera meritoria eſſe talis præmij, ſcilicet, ex lege & promiſsione Dei. Et mirum eſt, quòd iſti ſunt de ſocietate nobis aduerſantium. Verumtamen hic non penetrat naturam gratiæ & virtutum infuſarum. Eſt enim natura gratiæ habitualis facere nos conſortes diuinæ naturæ, & dignos vita illa æterna, & operari opera filiorum Dei, quæ ſicut bonitatem habent ſupernaturalem dũ

liberè fiunt, ita & rationem meriti reſpe-
ctu præmij ſupernaturalis. Cum autem di
ximus ſupra quòd ex diuina ordinatione
factum eſt vt viſio ſit prȩmium bonorum
operum noſtrorum, conſiderauimus no-
ſtra opera vt noſtra ſunt, ſic enim nõ ſunt
condigna ad futuram gloriam quæ reue-
labitur in nobis. At quia, vt etiã diximus,
Deus ſuauiter omnia diſponit, dedit nobis
gratiam cuius virtute radicali noſtra bona
opera quæ ab ipſa per virtutes exercentur
ſint vitæ æternæ meritoria quæ eſt viſio
Dei. Cȩterùm intenſio viſionis commen-
ſuratur intenſioni gratiæ, gratia autem nõ
intenditur per actus remiſsiore, vnde ne-
que per tales aſſequetur homo intenſio-
rem viſionem, quanuis aſſequetur maius
præmium vt viſio præmium eſt. Vnde
conſequentia illa non valet, ſi eſt nouum
meritum habens connaturalitatem cum
præmio videndi Deum, erit viſio inten-
ſior. Quoniam illam connaturalitatem
habet ex gratia, vnde niſi gratia creſcat in
eſſe qualitatis per actus intenſiores nõ erit
viſio intenſior danda in præmium. Hac

ſolu-

ſolutione audita, quieuit ingenium erudi-
ti Theologi & omnino perſuaſus eſt, hãc
eſſe veritatem & doctrinam S. Thomę.

Iam reſpondeamus ad teſtimonia ex Concilio. Ad primum teſtimonium ex cap.10.ſeſsione.6. Reſpondetur, quòd primum omnium, non ſunt tam vniuerſales illę aſſertiones Concilij ſicut ipſi fingunt: Cùm enim inquit, Sic ergo iuſtificati & amici Dei ac domeſtici facti euntes de virtute in virtutem renouantur de die in diē; nunquid omnes iuſtificati ita ſe exercent, ita renouantur de die in diem? Multi profectô pigritia torpent, multi iuſtificationis gratiam amittunt. Mens igitur Concilij eſt contra lutheranos definire negantes hominem iuſtificatum in iuſtitia poſſe proficere, quòd iuſtus poteſtatem habet, ſi velit ſe exercere, vt illic deſcribitur creſcere in iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperanti fide bonis operibus, ſic enim magis iuſtificantur. Neque rurſus Concilium intendit quòd talibus bonis operibus ſemper creſcat habitus gratię intenſiuè, alioqui & opinio

Scoti

Scoti illic condemnaretur negantis habitualem gratiam augeri per actus remiſſiores, quod quidem non admittent Scotiſtę, neque Thomiſtę. Eſt igitur indignum authoritate ſacri Concilij aſſerere, quòd illic definita fuerit nominalium opinio contra Thomiſtas & Scotiſtas. Decet autem ſacri Concilij grauitatem, vt ea definiat quę contra hęreticos neceſſarium erat, vt definirentur. Quid ergo eſt dicere creſcunt in iuſtitia; niſi dicere creſcunt in iure & in merito & in dignitate ad præmium vitæ æternæ? Quod ſi quis acutulus Theologus obijciat, quòd iuſtitia per Chriſti gratiam accepta eſt gratia habitualis, ergo ſi creſcunt bonis operibus in illa iuſtitia: creſcunt etiam in gratia habituali. At verò gratiæ augmentum non eſt aliud niſi intenſionis, ergo intenſiue augetur ſtatim, ſi ſtatim creſcit. Reſpõdetur quòd definitiones Concilij non ſunt tam metaphyſicæ, vt velint Theologorũ opiniones definire: ſed illorũ diſputatione relinquere huiuſmodi intelligẽtias. Quis autém neſ-

ſciat gratiam habitualem quæ neceſſaria eſt ad iuſtificationem dupliciter à Theologis conſiderari. Vno modo in eſſe habitus & qualitatis, alio modo in eſſe gratiæ, quatenus bona opera gratificat & radicaliter facit meritoria. Sic igitur illa gratia dupliciter poteſt creſcere & abundare. Vno modo intenſiuè in eſſe habitus & qualitatis: alio modo in eſſe gratiæ gratificantis plura merita. Priori quidem modo dicimus Thomiſtæ & Scotiſtæ, quòd non augeſcit niſi per actus intẽſiores. Altero vero modo omnes debemus fateri, quòd gratia iuſtificationis abundat, ita vt iuſtus creſcat in iuſtitia per bona opera ex fide per charitatem operante facta. Creſcunt itaq; in iuſtitia, quia certè abundant, in iure plurium meritorum quæ ex radice gratię grata ſunt coram Deo. Et hæc eſt veriſsima intelligentia & digna grauitate Concilij. Et ſic planum eſt quod etiam dicitur ibidem ex Apoſtolo, Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino, & omnia alia quæ ibidem referuntur, ſimilem habent intelligen-

ligentiam. Vnde conſtat, quàm malè & pueriliter colligant, qui volunt ex prædicto teſtimonio nominalium ſententiam eſſe definitam. Præterea teſtimonia quæ adducunt ex eodem Concilio ex can. 24. planam habent intelligentiam. Non enim illis definitur; niſi quòd iuſtitia accepta conſeruatur, & augetur coram Deo per bona opera, & quòd ipſa bona opera ſunt ipſius augendæ cauſa. Quod quidem ſatis verificatur per doctrinam præcedentem, ſunt enim bona opera cauſa meritoria augendi ius ad vitam æternam. Imò ad augmentum gloriæ. Sunt etiam diſpoſitiones ad augmentum ipſius gratiæ habitualis, & quando fuerint proportionatæ diſpoſitiones ad augmentum intenſiuũ habitus, augebitur intenſiuè gratia habitualis. Si autem actus meritorij fuerint remiſsiores, non augent intenſiuè habitum gratiæ aut charitatis, quamuis mereantur augmentum. Vtrum autem augmentum quod merentur tales actus remiſsiores, ſit intenſiuum ipſius habitus vel extenſiuum in eſſe gratiæ reſpectu maioris gloriæ, &

præmij in ratione præmij, Theologorum ſunt diſputationes, quibus decidendis authoritatem ſuam Concilium in hac parte non interpoſuit: ſed talibus verbis definiuit, quòd ad fidem Catholicam pertinet: quæ communia eſſe poſsint ſingulis catholicorum opinionibus. Omnes enim tenentur fateri & fatentur, quòd per quælibet bona opera quę fiunt per gratiam Dei & meritum Chriſti iuſtus creſcit in iuſtitia, & meretur vitam æternam, & meretur augmentum gloriæ, & meretur augmentum gratiæ, & ſi in gratia deceſſerit meretur conſecutionem vitæ æternæ. Similiter etiam intelligendus eſt Cano. 26. & 32. in quibus ſacrum Concilium vtitur verbis communibus ſingulis opinionibus. Sed operæpretium eſt, aduertere, quòd quidam ex noſtris aduerſarijs, qui communem vocem ſuæ factionis ſuſcepit, duo falſa teſtimonia imponit, alterum mihi, alterum Concilio. Mihi quidem, quòd non quolibet actu charitatis mereatur homo augmentum gratię & glorię, & quod dixerim definitionem illam Concilij, ca-

lij, can. 32. nō eſſe vniuerſaliter intelligendam, de quolibet bono opere quod fit per Dei gratiam & meritū Chriſti: ſed tantū de intenſiori. Cùm tamen qui attentè legerit, quæ dixi in 2.2. quæſt. 24. artic. 6. Dubio 2. in ſecunda concluſione, quæ habetur in columna 900. comperiet, quàm falſum ſit teſtimonium, ꝙ mihi imponitur. Cum enim retuliſſem in concluſione prima, Canonem Concilij 24. & Canonem 32. dixi poſtea in ſecunda concluſione & iterum dico, quòd Concilium non determinat, quod quælibet bona opera quæ facit iuſtus ſtatim augeant gratiam, vel quòd mereantur augmentum gratiæ vel præmij ſupernaturalis. Et probaui & nunc probo, quia res eſt conſtantiſſima inter Catholicos Theologos non eſſe neceſſarium, vt quodlibet opus moraliter bonum quod facit exiſtens in gratia, mereatur augmentum gratię vel glorię ſupernaturalis. Dicunt enim omnes qui rectiùs theologizantur, neceſſarium eſſe ad tale meritum, quòd procedat non ſolum à ratione naturali dictante (hanc enim

appellamus moralem bonitatem,) ſed etiam quod referatur in Deum per actum charitatis præſentem vel antecedentem, quæ relatio dicitur actualis, vel virtualis in Deum. Si autem Concilium loqueretur de quolibet bono opere, quod facit iuſtus: iam definita eſſet opinio Gregorij Ariminenſis, & aliorum qui tenent ſufficere ad hoc quòd bonum opus morali ſit meritorium vitæ ęternę, & augmenti gratię & glorię, quòd operans ſit habitualiter in gratia. Non ergo concilium loquitur de quolibet bono opere, ſed de quibuſdam, ſcilicet, quę iuſtus poteſt facere ex gratia Dei referendo illa in finem ſupernaturalem. Quas conditiones non appoſuerat Concilium in canone 24. ſed abſolutè dixerat ſi quis dixerit iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, &c. Et idcirco aduerti, quòd Concilium non loquebatur illic de quolibet bono opere quod facit iuſtus, ſed de quibuſdam, videlicet habentibus conditionem appoſitam in canone 32. videlicet, quòd fiant ab homine

iuſto

iuſto per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum. Et quidem de huiuſmodi operibus, nuſquam ego dixi non eſſe vniuerſalem definitionem Concilij, quin potiùs obſeruaui verba Canonis 32. in eo quod dicit, quę ab eo per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum fiunt. Quibus verbis non neceſſario includuntur opera bona moralia: quoniam hęc fieri poſſunt, etiam ab exiſtente in gratia ſine concurſu gratię & relatione in finem ſupernaturalem. Temerarium ergo eſt dicere, quòd Diuus Thomas retractaſſet ſententiam ſi fuiſſet noſtris temporibus poſt talem determinationem Concilij. Quaſi vero ſententia Diui Thomę, quod non quolibet actu charitatis augetur gratia contraria ſit Canoni 24. Vbi definitur iuſtitiam acceptam, augeri coram Deo per bona opera, quod iam oſtendimus eſſe calumniam & puerilem argumentationem. Conſtat enim in quanta veneratione, in omnibus Concilijs prę ſertim Tridentino in materia de iuſtificatione doctrina Diui Thomę ſit habita. Imo in canone 32. qui expli-

riæ eſſentialis augmentũ, quod per actus remiſsiores meruerat. Sed vt interim taceã de intelligentia iſtius opinionis, Conciliũ non dicit, ꝙ mereatur cõſequutionem gloriæ augmenti: neq; mentionem fecit gloriæ eſſentialis. Sed ſolum dixit, ꝙ mereatur gloriæ augmentũ. Omnes enim illi caſus accuſatiui conſtruũtur cũ verbo meretur, ſcilicet augmentũ gratię, vitam ęternam, conſequutionem vitæ æternæ, ſi in gratia deceſſerit, atq; etiã gloriæ augmẽtũ. Deinde conciliũ ex propoſito noluit diſtinguere de gloria eſſentiali & accidentali, ſciens eſſe inter Theologos catholicos diſputationem de differentia huiuſmodi præmiorum, & quomodo actibus diuerſarũ virtutũ reſpõdeat hoc vel illud præmiũ: & ideo tantũ dixit, gloriæ augmẽtũ meretur. Præterea nõ dixit meretur augmẽtũ vitæ ęternæ, ne determinaret augmentũ intenſiuũ viſionis beatificæ obtinẽdũ eſſe per quoſlibet actus meritorios: pręterquã quod ille modus loquendi augmentũ vitæ æternæ, non eſt vſitatus inter ſcholaſticos Theologos. Sęd cõmuniter dicunt augmentum

præmij, augmentum gloriæ. Non ergo debet quiſquam ad alterius opinionem re futandam corrumpere verba Concilij: ſed ex verbis Concilij bonam conſequentiam facere, vel neceſſariam vel perſuaſoriam, cuique licitum eſt. Nihil profecto magis fauet noſtræ ſententiæ, quam cum in illo Canone fiat mentio de meritò augmenti gratiæ, & de merito augmenti gloriæ, & de merito vitæ æternæ: & cũ ad cõſequutionem ventum eſt, non definiuit conſequutionem augmenti gratiæ neque conſequutionem augmenti gloriæ, ſed vitæ æternæ conſequutionem, mereri iuſtum (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſtituit. Ex propoſito ergo reliquit locum opinionibus Catholicorum: & Lutheranorum errores confutauit. Sed aiunt, Eſt eadem ratio de conſequutione augmenti gratiæ & augmenti gloriæ, ſi homo in gratia deceſſerit poſt merita illius augmenti gratiæ & gloriæ. Mirum enim eſſet quòd aliquis aliquid mereatur apud Deum, vt apud autorem gratiæ & gloriæ, & quòd mortuus in gratia nunquam ſit

rece-

recepturus quod meruit. Huic admirationi, primo quidem ad homines alteram obijcio: Mirum eſt enim, quomodo concilium tam attentè interpoſito parenteſi, ſoli vitæ æternæ conſequutionem appoſuit. Iam vero omiſsis admirationibus ex tertio noſtro fundamento diſſoluitur facilè iſta obiectio. Nam quando nos explicantes doctrinam Diui Thomæ conſequentiam neceſſariam fecimus. Videlicet, ex eo quòd Diuus Thomas dicit, ꝙ habitus charitatis vel gratiæ non augetur intenſiuè niſi per actus charitatis intenſiores quàm fuerat habitus, collegimus per neceſſariam conſequentiam, ergo ſi homo nunquam ſe diſpoſuerit per actus intenſiores, nunquã recipiet illud augmentum intenſionis habituum. Quando ergo ita collegimus, nuſquam negauimus præmium meritorum conferendum eſſe, ſi homo in gratia moriatur.

Sed aſſerimus, quòd dabitur præmium eo modo quo homo meruit. Volo dicere, vt in tertio fundamẽto explicaui, quod ſi homo meruit per actus remiſsiores cha- *Valdè nota.*

ritatis augmentum gloriæ, dabitur etiam illi gloria & merces maior, non quidem in ratione actus videndi Deum intenſius: ſed erit maior gloria in ratione præmij & laudis. Quod quidem præmium eſſentiale dici poteſt, quando Deus clarè viſus viſionem ſui concedit beato propter talia merita. Sed fateor, quòd Diuus Thomas, quando loquitur de augmento præmij eſſentialis, ſemper intellexit de augmento intenſiuo ipſius viſionis beatificæ. Cæterùm quoniã ratio præmij accidit viſioni: meritò propter nouas calumnias diſtinximus de augmento & maioritate præmij eſſentialis, in ratione præmij vel in ratione eſſentiæ beatitudinis. Oſtendimus enim in tertio fundamento, quomodo vtraque ratio ſine altera & vtrumque augmentum ſine altero inueniri poſsit. Neque mirum eſt, quòd nos faciamus diſtinctionem de præmio, quam ipſi aduerſarij faciunt de actu meritorio conſiderantes illum in ratione meriti, & rurſus in ratione diſpoſitionis magis vel minus intenſæ. Sic ergo nos diſtinguimus de pręmio beatitudinis,

dinis, & conſideramus duplicem rationem valde diſtinctam, vt dictum eſt. Semper itaque redditur corona iuſtitiæ pro meritis, ei qui perſeuerat, ſed non ſemper opus eſt, vt viſio ſit intenſior propter nouum meritum, niſi actus merendi fuerit intenſior. Et quanuis ſecundum opinionem Diui Thomæ quolibet actu charitatis mereatur homo augmentum gratiæ ſecūdum intenſionem habitus, & conſequenter augmentum gloriæ eſſentialis ſecūdum intenſionem viſionis correſpondentem gratiæ habituali: nihilominus requirit Diuus Thomas, quòd priùs homo ſe diſponat per actum intenſiorem, vt recipiat maiorem intenſionem habitus gratiæ, & conſequenter luminis beatifici ad videndum Deum intenſius. Neque iſta doctrina in aliquo repugnat dictis Concilij: quoniam, vt oſtendimus, dum Concilium definiuit, quòd meretur homo augmentum gratiæ & gloriæ, non deſcendit ad particularem modum augmenti, an debeat eſſe intenſiuum ſemper vel extenſiuum, neque ad alias metaphy-

taphyſicas opiniones, in quibus non inutiliter ſe exercent ſcholaſtici. Quod ſi quis adhuc obijciat, quòd ſaltem ſecundum opinionem Diui Thomæ debemus concedere, quòd aliquis meretur aliquid apud Deum, & nihilominus moriens in gratia non recipit illud quod meruit, videlicet maiorem intenſionē habitus gratiæ, quam per actum charitatis remiſsiorem meruit, ſi antea quam moreretur non ſe diſpoſuit intenſius. Fateor hanc eſſe ſententiam Diui Thomæ, ſed ipſemet reſpondet ad prædictam obiectionem, in Prima Secundæ, quæſt. 114. artic. octauo. ad tertium. Erat enim argumentum, id quod cadit ſub merito meretur homo per quemlibet actū à gratia vel charitate procedentem, ſicut per quemlibet talem actum meretur homo vitam æternam. Si igitur augmentum gratiæ, vel charitatis cadat ſub merito: videtur quòd per quem libet actum charitate informatum aliquis mereatur augmentum charitatis: ſed id quod homo meretur, infallibiliter à Deo conſequitur, niſi impediatur per peccatum

tum

tum ſequens. Sic ergo ſequeretur, quòd per quemlibet actum meritorium gratia vel charitas augeretur. Hæc ex D. Thoma, qui ita reſpondet ad tertium: dicendum, quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ. Sicut & gratiæ conſummationem quæ eſt vita æterna. Sed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore: ita neque gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore cum ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum. Hactenus Diuus Thomas. Et profecto qui attentè legerit hanc ſolutionem, neſcio quomodo poſsit aliter intelligere hánc doctrinam. Diſtinguit enim Diuus Thomas duo tempora, alterum in quo redditur vita æterna, quæ eadem cadit ſub quolibet merito procedenti ex gratia & charitate. Quod nam autem ſit illud tempus Concilium expreſsit dum dixit, ſi tamen in gratia deceſſerit. Quod nam autem ſit tempus conferendi illud augmentum gratiæ habitualis ſecundum intenſionem: Concilium quidem non expreſsit, ſed D. Tho-

mas

mas ſecundùm ſuam ſententiam explica-uit, ſcilicet,cum aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad tale gratię augmentum. Quã quidem diſpoſitionem eſſe per actus feruentiores ex ipſomet argumento propoſito colligitur & D.Thomas ſępe aliàs affirmat vt patet in artic.6.quęſt.24.in 2.2. Eſt igitur aperta mens D. Thom. quòd ſicut vitam æternam nõ aſſequetur homo qui illam meruit,niſi ſuppoſita quadam conditione,quam non meruit, ſcilicet quòd moriatur in gratia:ita non aſſequetur homo augmentum gratiæ & charitatis quod meruit quantum eſt ex parte ipſius actus meritorij;niſi ſuppoſita alia conditione,videlicet,ſi & quando proportionabiliter ſe diſpoſuerit per actum intenſum iuxta intenſionem futuram habitus. Et hanc eſſe intentionem Diui Thomæ nemo niſi cuicius ſententia diſplicuerit negare poterit. Scio in hac parte quoſdam ex noſtris quibus Diui Thomæ ſententia non placuit, voluiſſe quaſdam interpretationes mirabiles & incredibiles adijcere propter quas minùs probabilem fecerunt Diui Tho-

mæ ſententiam quàm nominalium. Sed de hac re ſatis dixi vbi ſupra, vbi oſtendi quomodo non conſonet illorum interpretatio cum doctrina Diui Thomæ. In hoc tamen loco operæpretium eſt in confirmationem huius doctrinæ commemorare quæ dixi dubio vltimo ſuper articulum ſextum, quæſt. 24. in noſtris Commentarijs ſuper Secũda Secũdæ. Ibi enim oſtendi ex doctrina Diui Thomæ, qualiter merita per peccatum mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam. Quanuis enim certum ſit quòd omnia reuiuiſcunt, quatenus recuperant efficaciam perducendi eum qui illa fecit in vitam æternam; itaque pro ſingulis & pro omnibus dabitur vita æterna in præmium: tamen præmium eſſentiale (quantum ad intenſionem viſionis beatificæ ſic enim de præmio eſſentiali loquitur Diuus Thomas) non recipiet maius, quàm reſpondeat præſenti diſpoſitioni, in qua reſurgit, niſi fortè antequam moriatur reddeat ad priſtinam diſpoſitionem. De qua re videantur quæ dixi vbi ſupra, & appare-

bit quòd hæc ſit expreſſa ſententia Diui Thomæ. Vbi obſeruandum eſt, ꝙ quanuis Concilium Tridentinum in Seſsione ſexta. cap. 7. dicat quòd vnuſquiſque recipit ſuam iuſtitiam ſecundum menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem (loquitur autem Concilium de iuſtificatione impij) nihilominus, quando ex iſto loco Concilij argumentor ego contra eos qui tenent, ꝙ quicunque reſurgit à peccato per quantumlibet paruam contritionem recipit maiorem gratiam, quam antea habebat, tum propter diſpoſitionem præſentem, tum etiam propter merita præterita, quæ dicunt ita reuiuiſcere, vt tam intenſa gratia infundatur, quam erat intenſa prior gratia per peccatum amiſſa, quando itaq; argumentor contra illos ex prædicto Decreto, vbi definitur, quòd vnuſquiſque impius dum iuſtificatur recipit menſuram iuſtitiæ (hoc eſt gratiæ iuſtificantis) ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem, ergò non recipit homo

homo maiorem gratiam, quàm reſpondeat præſenti diſpoſitioni & cooperationi pœnitentis. Reſpondent, negantes conſequentiam, dicentes, quòd Concilium non loquitur de pœnitente qui priùs habuerat merita mortificata. Quæ ſolutio quantùm valeat non eſt præſentis loci diſputare. Nam vbi ſupra oſtendi, quàm conformis ſit Diui Thomæ ſententia de reuiuiſcentia meritorum cum Decreto concilij. Nunc autem, non poſſum non ſubridere, cùm aduerſarij nolunt admittere noſtram intelligentiam ſupra citatorum Canonum concilij, vt eripiamus doctrinam Diui Thomæ ab illorum calumnijs: & iam tandem ipſi ſequentes nominalium ſententiam de reuiuiſcentia meritorum, limitant vniuerſalem aſſertionem Concilij aſſerentis, quòd vnuſquiſq; qui iuſtificatur recipit menſuram iuſtitiæ ſecundùm propriam diſpoſitionem, & cooperationem: dicunt enim, hoc non eſſe intelligendum de quolibet impio qui iuſtificatur, ſed de illo qui prius non habuerat merita mortificata. Sciebat enim

K Con-

Concilium opiniones eſſe inter Theologos circa modum reuiuiſcentiæ meritorum per pœnitentiam. Mirum ergo eſt quòd ipſis liceat ſic exponere Concilium, & mihi non liceat, qui multò magis germanè & prout decet grauitatem Concilij explicaui, quæ ſupradicta ſunt de incremento iuſtitiæ acceptæ. Itaque ipſi in ipſa iuſtificatione impij gloſſant Concilium conſequenter ad ſuam opinionem: & mihi indignantur, quòd in augmento gratiæ & charitatis decreta Concilij explicem conſequenter ad ſententiam ſancti Thomæ. Dicunt enim quòd potius deberem gloſſare verba Diui Thomæ, quam concilij. Quibus ego reſpondeo, quòd doctrina Diui Thomæ eſt optimus interpres concilij. Quam quidem doctrinam quidam ex noſtris etiam Thomiſtis modernis fortaſsis non plenè capientes mentem Diui Thomæ, vel quòd mihi certiùs eſt rigidam arbitrantes, voluerunt quaſdam interpretationes adhibere, quæ illam vel deſtruebant, vel omnino improbabilem reddebant. Sed quan

uis

uis multi ex prædictis modernioribus Thomiſtis aliter cenſuerint, quam nos ſentimus, duos tamen referam, qui fuerunt præcipui noſtris temporibus. Alter erat ſapientiſsimus Magiſter frater Franciſcus à Victoria. Is in relectione quæ circunfertur de augmento charitatis, poſtquam varias opiniones retulerat, & inter eas opinionem Diui Thomæ, quòd per nullum actum augetur charitas niſi ſit intenſior ipſo habitu charitatis: tandem in fine repetitionis nihil ex prædictis ſibi placet. Ait enim, quòd multa argumenta oſtendunt, quòd eius opinio (quæ alia eſt à noſtra) non caret etiam calumnia, neque bene ſe expedit à dubijs, & difficultatibus, & fortaſſe, quòd oporteat ponere aliam opinionem diſtinctam à tribus recitatis. Et paulò poſt inquit. Profectò non eſt certum, ſed valdè dubium, quomodo fiat augmentum charitatis, & virtutum infuſarum. Neque mihi per omnia placet etiam opinio Sancti Thomæ recitata, neque poſſum, ex ſententia ſatisfacere

dubijs emergentibus ex illa. Et tandem dicit in hac materia faciliùs eſſet mihi dicere, quod eſt falſum, quam quod eſt verum. Hæc ille vir magno & excellenti ingenio præditus, & qui primas inter noſtri temporis præceptores tenuit. Verum tamen non mirum eſt, quòd aliquando bonus dormitet Homerus. Multa enim dicit in illa repetitione, expreſsè contra Diuum Thomam, plurima indeciſa relinquit, ita vt videatur potius inueſtigatoris, quàm Doctoris officium feciſſe. Aduertant tamen nouiſsimi ęmulantes, quòd vir ille ſapientiſsimus, ac modeſtiſsimus in eadem repetitione propè finem inquit, dubium eſſe quæ ſit verior de illis tribus opinionibus recitatis, inter quas certè continetur ea quæ nunc dicitur eſſe noſtra opinio: quam quidam non intelligentes vel nolentes intelligere audent dicere eſſe temerariam & parum tutam in fide. Suſpicor hac via illos exiſtimaſſe os noſtrum obſtruere, quod alias cenſuras grauiores aduerſus quorumdam noua dogmata protulerim in noſtris Commentarijs.

tarijs. Fateor enim me vehementer ægrè ferre, quòd huiuſmodi dogmata permittantur. Qualia ſunt, quòd Deus non prædeliberauerit ab æterno actus noſtri liberi arbitrij bonos. Quòd cum æquali auxilio & præparatione Dei vnus peccator euadat iuſtus, alius maneat in peccato. Quòd Chriſtus Dominus non meruit obediens præcepto moriendi, ſed quia libentius obediuit quam tenebatur obedire quia, vt ipſi aiunt, nō intelligunt, quomodo Chriſtus Dominus ſtante præcepto paterno liberè obediret. Imo exiſtimant illam maiorem intenſionem neque præcepto neque diuinæ prædeliberationi ſub eſſe. AEſtimant enim non conuenire actum liberum, cum diuina circa ipſum prædeliberatione. Hæc & his ſimilia non poſſum non erroris vel hæreſis nota inurere. Horum hominum ſic opinantium calumnias pati non vereor, dummodo veritas eluceſcat. Hoc ſanè illis debeo, quòd eorum calumnijs excitatus ſum, vt euidentius oſtenderem puritatem & veritatem doctrinæ ſancti Doctoris. Alter

ex Thomiſtis ſapientiſsimis fuit Frater Dominicus de Soto Doctor olim Pariſienſis, doctiſsimus ille quidem & diligentiſsimus: at vero inter nominales nutritus vix potuit in aliquibus opinionibus illorum ſententias exuere. Quò factum eſt vt circa reuiuiſcentiam meritorũ partim cum Diuo Thoma, partim eum nominalibus, partim etiam cum Scoto conſentiret. Tenet enim in 4. Sentent. diſtinct. 16. queſt. 2. artic. 2. quòd quicunque reſurgit à peccato, qui antea habuit gratiam & merita, ſemper recipit nouum gradum gratię ratione meritorum quę reuiuiſcunt. Dicit ſecũdo, quòd ſi homo reſurgit cum ſummo conatu quem per auxilium Dei habere poteſt, recuperat omnem gratiam à qua exciderat, ſiue magna fuerit ſiue parua. Dicit tertio, quòd ſi illa contritio deficiat ab illo ſummo conatu, tunc reſtituitur antiqua gratia in ea proportione, in qua contritio diſtat à ſumma contritione. Verbi gratia, ſi contritio eſt medietas ſummæ contritionis, reſtituetur medietas gratiæ deperditæ: & ſi fuerit

tertia

tertia pars, reſtituitur tertia, &c. Hęc ille. Cuius opinionem non refero modo, vt latiùs impugnem, ſatis enim ſucceſſu temporis derelicta eſt in ſchola Theologorum, ſed refero: vt aduertam quomodo iſti præceptores egregij diſceſſerint à ſententia Diui Thomæ. Cæterùm conſtat, quòd prædicta opinio dum medium quoddam inuenire voluit, incredibilem ſententiam adinuenerit. Partim enim voluit conuenire cum verbis Diui Thomæ dicentis, quòd ſecundum præſentem diſpoſitionem reuiuiſcũt præcedentia merita, & intelligit ſecundùm pręſentem diſpoſitionem ſecundùm proportionalitatem, non abſolute reſtitui totam gratiam. Partim etiam cum nominalibus cum inquit, aliquem gradum gratiæ reſtitui propter merita præcedentia. Quantùm verò hæc opinio diſcordet à Diuo Thoma & nominalibus. Et quam minimum habeat probabilitatis ſatis me oſtendiſſe arbitror in Secunda Secundæ, quæſtione 24. articulo ſexto. dubio vltimo. Prædictos autem magiſtros

vt præceptores noſtros alij ſequuti ſunt, præſertim quantum attinet ad meritum & augmentum charitatis. Et quidam ex illis acrius inuehi cœperunt in illam opinionem, quam nos exiſtimamus eſſe Diui Thomæ, putantes, quòd per illam negabatur præmium vitæ æternæ vel augmentum gloriæ reſpectu meritorum, quæ per actus remiſsiores exercebantur. Sed nihil magis alienum eſt à Diuo Thoma, & à noſtra ſententia, hoc enim non ſolum eſſet temerarium & parum tutum in fide, vt quidam ſatis confidenter dixit, ſed vt mihi videtur eſſet erroneum & hæreticum. Quamobrem, quod pace illorum dixerim, non intellexerunt noſtram & Diui Thomæ ſententiam.

Iam verò non exiſtimo neceſſarium de actibus aliarum virtutum à charitate imperatis diſſerere, quomodo mereantur vitam æternam, augmentum gratiæ & gloriæ: quoniam artic. 6. vbi ſupra. Dubio quinto, tribus ſuppoſitis fundamentis per ſeptem Concluſiones latiſsimè diſſerui. Quæ omnia, qui legerit ſimul cum

noſtra

noſtra hac repetitione, comperiet noſtram ſententiam eſſe Diui Thomæ, & ſanctorum Patrum & omnium opinionum probabiliſsimam & pijſsimam, & tutiſsimam. Vt paulò poſt ex prædictis oſtenſurus ſum. Reſponſum itaque eſt ad argumenta contrariæ ſententiæ quæ deſumebantur, ex ſacris literis, & ex Concilijs & ſanctorum Patrum teſtimonijs, reliquum eſt ad tertium argumentũ, quod ex ratione deſumebatur, reſpondere.

Ad tertium argumentum, abundè ſatis reſponſum eſt à me in Commentarijs ſuper Secunda Secundæ, quęſtione 24. articulo 6. Dubio ſecundo ad quartum argumentum ſecundi ordinis, vbi duplicem ſolutionem aſsignaui. Alteram opponendo aliam maximam, quæ dicit, ꝙ bonum conſurgit ex integra cauſa, malum autem ex particulari defectu. Et ideo non mirum eſt, ſi propter quodlibet mortale peccatum puniatur homo amplius in inferno: iuſtus autem non pro quolibet opere bono recipiat maiorem intenſionem viſionis pro præmio, recipiet ta-

men maius præmium abſque maiore intenſione, vt iam explicatum eſt. Alteram ſolutionem adieci multò meliorem, & quæ magis confirmat veritatem noſtræ ſententiæ. Docet etenim D. Thomas in quęſtione de peccatis artic. 2. ad octauum argumentum, quòd in inferno eſt etiam duplex pœna, quædam eſſentialis, quædam accidentalis. Pœna eſſentialis conſiſtit in ſeparatione à Deo & dolore inde prouenienie. Pœna verò accidentalis eſt afflictio ab igne inferni, & triſtitia de mala ſocietate & de quolibet alio malo præter ſeparationem à Deo. Hæc Diuus Thomas. In qua diſtinctione adhuc triplicem pœnæ rationem contemplari poſſumus. Primam appellant Theologi pœnā damni, quę conſiſtit in æterna priuatione diuinę viſionis propter peccatum. Et hæc quidem pœna intrinſece & formaliter conſiderata conſiſtit in indiuiſibili. Eſt enim priuatio ſicut cæcitas, quæ eſt negatio viſus in ſubiecto apto nato. Sed quia ratio pœnæ proprie loquendo importat reſpectum ad peccatum; Ideo pœna damni

impor-

importat priuationem diuinæ viſionis propter peccatum ſiue originale ſiue actuale. Et quidem hæc pœna damni reſpectu illorum, qui diſcedunt cum ſolo originali peccato; eſt æqualis omninò: quia in illis eſt pura priuatio vitæ æternæ. At verò reſpectu illorum, qui propter mortale peccatum damnantur; Quidam dicunt, quòd cōſiſtit in indiuiſibili: quidam vero quòd non conſiſtit in indiuiſibili. Qui dicunt conſiſtere in indiuiſibili conſiderant duntaxat, id quod intrinſece pertinet ad pœnam damni. Sic enim intelligitur illud Iacobi ſecundo. Qui peccat in vno factus eſt omnium reus, videlicet, Quoniam qui facit vnum peccatum mortale tam ſine Deo manet & tam priuatus erit diuina viſione quam ille qui multa facit. Qui vero dicunt non cōſiſtere in indiuiſibili, conſiderant dolorē prouenientē ex tali ſeparatione ꝑpter mortale peccatū, quod ꝓpria volūtate cōmittit. Qui dolor nihil aliud eſt quā vermis conſcientiæ, qui nunquā morietur, ſed vehementer affliget dānatos propter mortale peccatū. Et hęc

eſt

reliquit homo Deum auerſus ab illo. Erit enim maior remorſus eius qui damnatur propter adulterium, quam eius qui damnatur propter fornicationem. Et maior remorſus eius, qui damnatur propter duas fornicationes, quam qui propter vnam, cæteris paribus. Prædictæ pœnæ fundamentum habent in illo Ierem. capite. 2. Duo mala fecit populus meus. Et me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſsipatas, quę continere aquas non valent. Ecce quomodo in peccato mortali conſiderantur duæ malitiæ, ſcilicet, auerſio à bono incommutabili & conuerſio ad bonũ commutabile. Sic ergo duplex pœna reſpondet peccato. Altera ex parte auerſionis ſimiliter priuatiua, quæ eſt carentia diuinæ viſionis. Altera poſitiua, quæ reſpondet conuerſioni ad bonum commutabile: & hæc non ſolum eſt afflictio ab igne, ſed etiam remorſus conſcientiæ. Iuſtum enim eſt, vt qui peccat contra aliquem ordinem puniatur ab illo qui pręeſt illi ordini. Et quia peccator non ſolum pec-

cat

cat contra Deum, ſed etiam contra lumen naturale ſibi inditum: idcirco iuſtum eſt, vt puniatur non ſolum à Deo, ſed etiam ab ipſo lumine naturali confundatur. Et hæc eſt propriè pœna vermis conſcientiæ, quæ ſe habet proportionabiliter reſpectu damnatorum; ſicut ſe habet lætitia beatorum reſpectu laudis quæ à Deo eſt clarè viſo, quam laudem diximus habere formaliter rationem præmij propter bona opera quæ eo quod bona ſunt laudabilia ſunt ab eo propter quem fiunt & à gubernatore communitatis: ſicut mala opera ſunt vituperabilia & confuſione digna. Conſonat denique prędictis quòd Apocalyp. cap. 18. dicitur. Quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctus. Tormentum enim refertur ad ignē, luctus vero ad vermem conſcientiæ.

Plurima minutiora argumenta obijciunt diſcedentes in hac parte à doctrina D. Thomæ vel à noſtro modo illum interpretandi, quæ commemorare pudet, quoniā partim ſophiſtica ſunt, & ab ignoranti-

rantibus dialecticam aut philoſophiā con ficta; partim ex prædictis facile diſſoluuntur. Ex quibus etiam patet, quòd ſententia D. Thom. de merito & augmento charitatis non ſolum nihil periculi habet, ſed omnium pijſsima eſt & magis in honorem Dei cedit (honor enim Regis iudicium diligit) quoniam iudicat de meritis virtutum iuxta vniuſcuiuſq; dignitatem, quæ ex diſtinctione obiectorum & ex intenſione actuum & ex difficultate rerum conſurgit. Dumque horum differentia cō ſiderat, præmiorū etiā differentiā facit. Tribuit enim charitati ſicut perfectionē eſſen tialem vitę Chriſtianæ, ita etiam eſſentiale pręmiū, vt cōſiſtit in viſione Dei. Intēſioni vero actus charitatis tribuit intēſionem viſionis. Multiplicationi autē actuū charitatis etiā remiſſorū, tribuit maiorē rationē præmij etiā eſſentialis ſecūdū rationē pręmij, nō autē ſecundū rationē actionis vidēdi Deū magis intēſe: ſicut & ipſum meritū nō fuit magis intenſum. Itaq; rationabilior eſt & magis cōſequenter loquitur ſentētia D. Tho. quàm omnes alię. Eſt etiam hęc *Epilogus.*

ſen-

ſententia tutiſsima: magis enim fauet bonis operibus. Dum iuſtos ad feruorē charitatis hortatur & excitat. Neque tamen ſi non intenſiuè operati fuerit, ſine prę mio relinquit, licet non tribuat, maiorem viſionis intenſionem. Quod autem noſtra ſententia ſeu potius D. Thomę ſit tutior, intelligo quantum ad praxim: nam quòd attinet ad ſanam doctrinam, nolo aliarum opinionum cenſuram rigidam proferre: niſi tantùm aduerſus illam aſſertionem, videlicet, quòd prę mium eſſentiale beatorum vel alicuius beati aliquando principalius reſpōdeat operi alterius virtutis, quàm actui charitatis à quo imperatur illud opus virtutis. Hoc enim iam dixi tāquam erroneum à cordibus fidelium abijciendum. Si autem hoc inconueniens ſequatur ex illorum opinione, qui aiunt maius eſſentiale prę mium aſſequuturum martyrem ex eo quòd ex ęquali charitatis actu patitur martyrium, quàm alius qui pari charitate potum aquę frigidę pauperi dederit, vel non ſequatur; alijs aliud videbitur, mihi tamen illud incōueniens ſequi propter

argu-

argumentum quod feci, ita viſum eſt. Cæterùm nunc tandem oſtendo, tutiorem eſſe viam, quam oſtendit doctrina Diui Thomæ ad exercitium vitæ Chriſtianæ, & eorum, qui ſicut ſpiritu viuunt, ſpiritu volunt ambulare, ſpiritu feruentes Domino ſeruientes: ſic oſtendo. Nam ſuppoſito, quòd prædictæ ſententiæ ſint opiniones probabiles; & non conſtet quæ illarum ſit vera, illa tutior erit ex qua minus inconueniens ſequi poteſt. At verò ſi opinio Diui Thomæ de augmento charitatis & gratiæ, vera ſit; multùm defraudabuntur, qui ſuam ſolicitudinem in ſolo exercitio aliarum virtutum impendunt, parum ſoliciti de feruore diuini amoris, & de intentione purificanda, vt prædicta opera ſint magis apud Deum meritoria, vt maius eſſentiale præmium conſequantur, non ſolum in ratione præmij, ſed etiam in ratione eſſentiæ beatitudinis. Inuenient etenim alium, qui minus ſe exercuit in eiſdem operibus, & tamen beatior erit propter maiorem cordis pu-

ritatem, quam diuini amoris fortis affe-
ctio efficit. Hoc egregie docuit Bea-
tus Vincentius Ferrer in Sermone quar-
to, de Dominica in Septuageſima expli-
cans illud: Erunt nouiſsimi primi, & pri-
mi nouiſsimi. Cuius verba latè retuli ſu-
per Secunda Secundæ, quæſtione 24. ar-
ticulo ſexto. Dubio quinto. Concluſio-
ne ſexta. propè finem. Vbi etiam retuli
egregia Diui Gregorij teſtimonia. Nunc
autem referam aliud Diui Antonini in
ſecunda parte Hiſtoriali, titul. 12. capit.
tertio. §. trigeſimo. Cuius quidem ver-
ba latè retuli in Commentarijs noſtris,
ſuper primam partem, quæſtione 95. ar-
ticulo quatto. Dubio ſecundo. Refert
enim Diuus Antoninus exemplum, de
quodam Heremita viro magnæ virtu-
tis, cui reuelatum fuit, quòd cum Gre-
gorio Romano Pontifice manſionem in
cælo ſibi ſperare deberet. Miratus eſt
autem ipſe Heremita, quòd Gregorius
Papa diues, & plurimis negotijs occupa-
tus ſibi æquaretur in gloria. At vero Di-
uus Antoninus ſic ait, Ego autem vt pu-
ſillus

ſillus ingenio vehementer ſtuperem, ꝙ Hæremita idiota & ſimplex quieti ſuæ ſolùm vacans, non doctrinæ proximorum, æquaretur Gregorio in gloria; qui Summo Pontificatu fungens in tanta humilitate, vt penè nullus humilior, tanta liberalitate profuſus in tantis diuitijs, vt nullius inopis obliuiſceretur, tanta deuotione fungens, vt officium, & Cantum eccleſiaſticum ordinaret, tanta doctrina repletus cum miraculis, vt tot libros, & tam vtiles componeret, tantis aduerſitatibus Longobardorum, & Imperatorum laceſsitus, tot corporis continuis quaſi doloribus vexatus, patientiſsimè omnia ſufferret; niſi mente tenerem, quia ſpirituum ponderator eſt Dominus, qui ſua munera, vt vult, diuidit, dat cui vult, & quantum vult ſine cuiuſque acceptione perſonæ. Nec enim pro qualitate nobilitatis, neque quantitate dignitatis aut ſcientiæ, vel doctrinæ & fructificationis in populo, vel labore corporis præmij magnitudinem eſſentialis reddit: ſed ſecundum amplitudi-

nem

nem charitatis. Hactenus Diuus Antoninus. Non ergo ſolus ego hanc doctrinam auſus ſum defendere, vt quidam falſò mihi impoſuit. Quod ſi fortè nominalium opinio vera eſt; nihil detrimenti accipiet, qui perfectioni charitatis operam dederit, dummodo aliarum virtutum neceſſaria opera facere, non omiſſerit.

Reliquum eſt ergo, vt finem loquendi pariter omnes audiamus ab Eccleſiaſte. capit. ſexto. Deum time & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo. Et iterum inquit capit. vndecimo. Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere neceſſet manus tua: quia neſcis, quid magis oriatur, hoc aut illud: Et ſi vtrunque ſimul, melius erit. Item illud, Apoſtoli 2. Corin. 9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et iterum ibidem, Hilarem datorem diligit Deus. Et denique ad Galatas capite ſexto. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes,

non

non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Hæc & his ſimilia vulgaribus Chriſtianis proponenda ſunt. Reliquæ verò difficultates opinionum cum prudentibus & in Theologorum Schola tractandæ, & diſputandæ ſunt. Hactenus de merito, & augmento charitatis, ſub correctione Sacroſanctæ matris, Eccleſiæ dicta ſufficiant, ad gloriam Dei, & pro defenſione doctrinæ Sancti Thomæ.

LAVS DEO.

SALMANTICÆ,

Apud Ioannem & Andręam
Renaut fratres.

1590

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corrige.

P*Agina* 18 *linea* 16. *hæc fortis militia, leg. hăc fortem militiam. pag.* 20. *lin.* 15. *fidei lumen. l. fidei lumine. pag.* 27. *li.* 9. *ergo. l. quàm. pag.* 77. *lin.* 1. *operatur, leg. operetur pag.* 93. *lin.* 7. *nomini, lege nomine pag.* 99. *lin.* 12. *aſſimilatur, lege, aſſimilat. pag.* 105. *lin.* 13. *fideles, lege fidelis.*

5 - 3 - 4